
Theodore
Besterman
253
P
S.

Cleri totius Romanæ Ecclesiæ subiecti, *Seu*,

PONTIFICIORVM ORDINVM OMNIVM OMNINO VTRIVSQVE SEXVS, HABITVS, ARTIFICIOSISSIMIS figuris, quibus FRANCISCI MODII singula octosticha adiecta sunt, nunc primùm

à

IVDOCO AMMANNO EXPRESSI: NEQVE VNquam antehac similiter editi.

ADDITO LIBELLO SINGVLARI EIVSDEM FRANciſci Modij Brug. in quo cuiusque ordinis Ecclesiastici origo, progressus & vestitus ratio breuiter ex variis historicis delineatur.

Francoforti sumptib. Sigismundi Feyrabendij. 1585.

NOBILI ET SVMMAE SPEI ADOLESCENTI, IOANNI CHRISTOPHORO NEVSTETTERO, cognomento STVRMERO, Bambergensi, VVirzburgensi, & Combergensi Canonico,

FRANCISCVS MODIVS BRVG. S. P. Dico.

CVM his diebus ex misera & calamitosa nostra Belgica reuersus, libellū hunc habitus Ecclesiasticos omniū ordinum ob oculos ponentem cudendo ad finem prope perductum viderem, adiectis versiculis nostris, quos singulis figuris octonos Sigismundi Feyrabendij rogatu ante meum ex Germania in patriam decessum adieceram: contenderetq; idem à me Feyrabendius, vt cuiusque ordinis ortum, auctoremq;, & vestitus rationem, quam breuissimè posset, prosa etiam enarrarem, deesse ei hîc quoq; nolens, arrepto statim calamo libellum singularem post finem adiectū, tumultuario & subitario opere ex varijs auctoribus, & præcipuè historicis concinnaui, & typographo imprimendum permisi. Quibus vtrisque (dico Carminibus, & Prosaico opusculo) cùm admonerer, vt more iam olim recepto

patronum optarem, tu vnus occurristi, Ioann. Christophore nobilissime, cui è multis hos meos labores dare, dedicare vellem, deberem. Vellem, propter eam personam, quam pro ætate sanè magnam in hoc Ecclesiastico ordine sustines adeò, vt cum annis summo te eidem & præsidio, & ornamento futurum augurari iam nunc libeat: Deberem, propter amplissimum & splendidissimum D. patruum tuum, Erasmum Neustetterum, cognomento Sturmerum, Præpositum Combergensem, Ecclesiarumq; Bambergensis & VVirzburgensis Canonicum Seniorem, virum eruditione, prudentia, multo rerum vsu, & virtutũ omnium in primis quotidiana exercitatione cuiuis etiam ex veteribus illis heroibus comparandum: qui cum me beneficijs suis iampridem ita suum fecerit, vt merito non mancupio tantum, sed vsu quoq; ipso, donec hæc mihi vita suppetet, illius futurus sim, æquum erat omnia, & singula siue ingenij, siue laboris mei monumenta, aut ad eum ipsum referri, aut certè ad eos, qui illi sanguine, & voluntate, animisque proximi, vt præcipuum in eo familiæ suæ decus situm habẽt, ita quicquid ipsi sunt, ad eiusdem quoq; id omne laudem

dem redundare cupiunt. Et tibi sanè, Christophore amicissime, hæc cùm nuncupo, ipsum quodammodo mihi magnificum patruum tuum Erasmum Neustetterum (quem honoris caussa, vt debeo, sæpius nomino) ipsum, inquam, hunc patruum tuum affari mihi quodammodo videor: cui tu à patre tantillus puer ita traditus es, vt patriæ potestatis ius omne deinceps illi in te esse voluerit. Quo sanè iure vir iudicij maximi, & certissimi ita vtitur, vt te ad imaginem sui, quo tibi præstare maius nihil potest, quasi effingat, conformetq; nulli aut sumtui, aut curæ parcens, quo te quàm breuissimo tempore quàm optimum simul & quàm eruditissimum, ac per vtraque hæc Reipubl. vtilissimum videat. nam de alijs ipsius beneficijs in te collatis quid dicam? quid de cooptato te per eum in amplissimum ordinem tam Bambergæ, quàm V. Virzeburgi? quid in collegium nobilissimum Combergense, vbi ipse annum iam XXXIII, & quod excurrit, ita præest summæ rei, vt cùm eam afflictissimam, & ruinam iam iam minantem accepisset: non tantùm humeris suis quodammodo fultam sustinuerit, sed summis animi corporisq; viribus connisus ad

meliorem etiam ſpem erexerit primò, tandemq; etiã ex afflictiſſima florentiſſimam, ex ruinoſa firmiſſimã, & cuiuis procellæ parem reddiderit. qua de re tamen dicetur fortaſſe aliàs à me pluribus, & magis ex dignitate: nunc eò reuertor, vt quemadmodum dicere cœperam, cùm tibi D. Eraſmo patruo tuo pro filio olim in manum tradito, totq; ac tantis beneficijs ab eodem ornato, hæc inſcribo, tantum nõ ipſi patruo tuo inſcribere mihi videar, qui, vt ipſa re declarat, tuum commodum, ſuum, tuam creſcentem laudem, ſuam putat. Accipe igitur iſta qualiacunque à me, maximæ ſpei adoleſcens, & per veſtigia eius, cuius beneficio, poſt Deum, id es, quod es, ſtrenuè ingreſſus, & eum ipſum, & egregium generoſumq; virum, Sebaſtianum Neuſtetterum patrem tuum, hoc quotidie magis magisq; adnitendo, exhilarare perge: quorum vterq; ſic demum abundè ſatis ſuis erga te infinitis meritis à te factũ arbitrabitur, ſi tu ſpem, quam de te apud omnes iam ſummam concitaſti, non ſuſtinendam tantùm tibi, & implendam, verùm etiam ſuperandam putaueris. Dicere plura in hanc ſententiam nihil attinet, quia iam dudum, ſi te bene noui, currentem

currentem incito: Illud igitur potius, ἀνλίδωρον hîc à te peto, vt, quoties erit occasio, apud D. patruum tuum, patremq; de meliori nota me commendes: quo me in patrocinium suum & amicitiam semel receptum, in clientelæ suæ parte perpetuò hærere patiantur, si verè & ex animo Deum opt. max. precor, vt & amplissimum D. patruum tuum, materiam laudi tuæ totius Reipubl. Christianæ bono coniunctæ superesse quàm diutissimè velit, & spei de te ac crescenti indoli maturescendi locum det, ac denique totam Neustetterianam familiam quàm florentissimam diu conseruare dignetur. Vale. Francofortiad Mœnum: a. d. XIV Kal. VIIbres calculo Gregoriano anni

M.D.XXCV.

HÆc est Pontificis Romæ regnantis imago,
Arbiter Ausoniÿ qua sedet imperiÿ.
Augustos augusta decent, hocq; inclyta Roma,
Cultu etiam digna aut diuitiore fuit.

Romule si vacat, ad tua respice regna, tuaq;
Victrici quondam mœnia structa manu:
Et ni effœta tui est animi prudentia, dices:
Huic vrbs non aliÿ nostra habitanda fuit.

Cardina-

Cardinei proceres augusto incedere amictu
Hoc, tibi quem monstrat picta tabella, solent.
Quorum principium, quorum incrementa videre
Qui cupit, illæsa, & tradita cuncta fide,

Illorum versanda illi monumenta manu sunt,
Assiduus quorum hoc puluere sudat equus.
Nos satis est habitum nostro de more notasse:
Ne titulum supra hoc carmine surgat opus,

NOs Patriarcharum indigetauit nomine Patrum
Ille Pater, noſter cui famulatur honos.
Addidit & mitra non vanum dexter honorem,
Atq; alba voluit corpora veſte tegi.

Scilicet admonitu vt veſtis ſciremus ab illa
Quiſq; animi mentem candidam habere ſui.
Subdita nimirum ſic demum membra valent, cum
Id valet, in ſumma quod ſedet arce, caput.

Epiſco-

Quem sacrata cohors veneratur Episcopus isto
Vestitu, aut simili conspiciendus eo.
Annulus in digito, substringens infula crinem,
Quæq; premit sacrum mystica mitra caput.

Denique pastorale pedum, quod læua gubernat,
Et quæ præterea in me noua forte vides:
Debita sunt summi mihi cuncta insignia honoris,
Roma faue, auspicijs sumimus illa tuis.

S. Catha-

Filia regis erat, formaq́; & moribus esse
Digna ante æquales filia regis erat:
Intacta nobis quæ virginitate præuiit,
Et socij voluit spernere iura tori.

Non quia damnaret iusti connubia lecti,
Error qui multos pernitiosus habet.
Sed quia coniugij censebat iure solutas
Liberius summo posse vacare Deo.

Episco-

Episcopus Chori seu suffraganeus.

FEbrua sunt cura mihi, quæ lustralibus vndis
Fiunt, igne meum est, thure piare meum est,
Nec tantum thure, at q; igni, tantúmq; pio vndis,
Perfusas quoque sed sacrifico ore preces.

Quisquis abire ergo hinc purgatus rite requiris,
Corde humili supplex ad mea templa veni.
Sunt leuia in speciem ritus purgamina nostri,
Sed tamen arcani mystici ad instar habent.

SAnctorum ſanctas templorum ſeruio ad aras
Hoc habitu, & certas ſuſtineo ore vices.
In quo ſi cultum, ſi demiraris amictum,
Scire, hæc haud cauſſa cuncta carere, licet.

Nil etenim fruſtra Canonum ſtatuere libelli:
Pagina quorum omnis relligioſa mihi eſt.
De reliquo hos, noſſe hæc quiſquis vult, cõſulat: hîc hác
Spectari in tabula me ratione ſat eſt.

D. Bri-

LInea me decet, & cineri conformis amictus:
Quæ sapis, exemplo viuere disce meo.
Disce vacare choris, verbisq; precantibus vti,
In magni laudes semper & ire Dei.

Est aliquid pedibus terere hæc quæ mundus adorat,
Quæq; optat votis cætera turba suis.
Brigida nostri auctor gaude ordinis, & faue olympo,
Nunc quoq; vestitu quæ te imitentur habes.

AD cinerem vergit vestis color, induere illam
Nempe decet, quæ sunt membra futura cinis.
Hanc vestem, medium est quà pectus, circulus ornat
Ater, crux rursum & concolor hancce notat.

Quæ quid signa velint si, vt sit, quis fortè requirit,
Is norit caussas vtraq; habere suas.
Quæ tamen huc omnes iusta ratione referri
Possunt: nos solum in pectore habere Deum.

Episco-

Sacris deuotus, solitóq; addictus honore,
Templorum hoc habitu assisto ministerijs.
In quo si grauitas quædam lucere videtur,
Iam precium, ferre hinc quod volui, omne tuli.

Turpe est in fanis sanctis famulantibus aris
Vestitu morbi prodere signa sui.
Et leuitatis habet multum incessisse decenter
Fortè minus, ratio quam iubet officij.

Ordinis S. Spiritus D. D. D. Valentini, Quirini & Antonij.

SEu nobis ſacri eſt Antonius ordinis auctor,
Siue Valentinus, ſiue Quirinus erat:
Omnes ſeu pariter tres hac ſe laude coronant,
Sæcula quà æterni conſcia veris eunt.

Hoc habitu ingredimur noti per rura, per vrbes:
Gaudentes geminam intexere veſte crucem.
Spiritus interea nobis dat ſanctus honorem
Nominis, in noſtris quem rogo adeſſe ſacris.

Laica

VIrginitas illæsa mihi est, sunt virgine mores
Digni: conueniens moribus estq; pudor:
Dissideatq; adeo ne vestis moribus, alba est
Ipsa quoque: & niuea simplicitate placet.

Nimirum intactis aptus color ille puellis,
Quis vacuo volupe est vsq; iacere toro.
Dum te sponso olim potiamur, Christe, petito,
Cuius non merito est, iureq; vilis amor?

Basilij

GRaius homo, at nulli vera pietate secundus,
Quiq; suo verè nomine dignus erat.
Graiis homo eloquij nulli bonitate secundus,
Discipulos vestem hanc iussit habere suos.

Cuiq; dabat vestem, niuei candoris vt hæc est,
Sic niueum facito sit tibi pectus, ait.
Frustra etenim ferret hæc foris ornamenta, domi cui
Non similis puræ gratia mentis erit.

S.Hele-

VT Spartana Helene multorum cauſſa malorum,
Europæ atq; Aſiæ, & magna ruina fuit.
Anglica ſic Helene Conſtantini inclyta mater
Officijs contra uuit vtramq; ſuis.

Auſpicijs cuius nos orti, vt cuncta peroſi
Humana, & quicquid mobile vulgus amat.
Nil præter niueæ expetimus velamina veſtis,
Et tenuem, atq; coci qui vacet arte, cibum.

Ordo mulierum pœnitentium.

POEnitet ô si quid miseris modo creditur, ipsum vt
Velatum hoc clamat, quà licet vsq; caput.
Pœnitet anteactæ quocunq; in crimine vitæ,
Vita iamq; iuuat nos meliore frui.

Nec quia vestitus quauis est candidus, & nos
Integræ pura virginitate sumus.
Sed notat hic habitus mundatas crimine ab omni
Olim iam meritis nos fore, Christe tuis.

Ordo monialium albatarum velis atratis.

CAndida tota mihi est vestis, niueoq; colore
Testor & ipsa meæ dona pudicitiæ.
Solum atro tegitur velo caput, inmemor vt ne
Sim sortis, cuius me dedit esse Deus.

De reliquo assiduæq; preces, hymniq; choriq;,
Et psalmi nostrum sunt ferè semper opus.
Da, Deus, vt quæ te celebramus supplice cantu,
Scandamus cœli templa beata tui.

Canonicus cœlebatui non addictus.

IN viduo ſemper perdurem & cœlibe lecto,
Nunc etiam arbitrij eſt, iudicijq́ mei.
Moxq́ reſignato, quicunq́ eſt, veſtis honore,
Et lucro, è ſacra quod venit omne penu.

Ducere facturam pulchra me prole parentem
Fas eſt, & iuſto conſociare toro.
Sponte ſua eſt aliquid ſummo ſeruire tonanti,
Eſt aliquid, ſeruo nil facere arbitrio.

AEgrotis

AEgrotis mercede seruientium ordo fœmineus.

ATrata est vestis, color est hic aptus amanti
Ægroto medicas arte parare dapes.
Dura q3 res, fateor, semper mœrentibus esse
Præsto est, sed Christi hæc omnia vincit amor.

Ætherio ille dabit mercedem debitam olympo,
Iunget & à sanctis funere virginibus.
Felices, quibus est fas immortalia apisci,
Illa, quæ exiguo tempore sudat ope.

QVærant pulla, quibus mens intus cõcolor, atra &
Bile tumens ſceleris quodlibet audet opus.
Nos decet vt amur quò conueniente colore,
Menti, hac, non alia, corpora veſte tegi.

In qua quid geminos gladios mirare? notant hi
Bellandum nobis quolibet eſſe die
Cum carne, & ſtygio bellum crudele tyranno:
Quorum vix tuti à ſic etiam enſe ſumus.

HAc veste incedit, quauis de gente sacerdos:
Nec malè sacrificis conuenit illa viris.
Aurea conueniunt sæpe in, quot, templa, diebus:
Quiq; tamen moris pro ratione sui.

Hicq; Deum precibus, psalmis, votisq; fatigant,
Clementi vt terras lumine respiciat.
Auertensq; aduersa, velit gaudere secundis
Humanum solita pro bonitate genus.

A *Canone est nomen, niuei candoris amictus*
Siue togas, seu sunt pallia nigra, tegit.
Alba decent vitam cum virginitate professos,
Conueniens vt sit moribus ipse color.

Qui tamen ex humeris cultus mihi pendet vtrinque
Pellitus, non est omnibus aptus idem.
Concolor induſio ſiquidem hunc iuuat, at magis illum
Qui ruber è toto est, purpureúſve decet.

Ieſuita-

NOn ſæclis nos, aut longis contendimus annis:
Nupera nam, ſocij, res Ieſu, vbique ſumus.
Nupera ſed quamuis ad quæ nemo ante ſolebat,
Ad cuncta hæc animis turba parata ſumus.

Certiq́ exitij extremos penetramus ad Indos,
Et ſi qua Indorum eſt, terra remota magis.
Ergo alij placeant ſeclorum laude placere,
Officij nobis ſedulitate ſat eſt.



PErſonam aptamus capiti, celebriſq; flagellis
Scribimus, & rubris candida terga notis.
Pro culpiſq; damus non parua piacula, ſanguis
Fuſus vt ex illis crimina noſtra lauet.

Nec tamen hoc facimus quouis in tempore, ſed cum
Lethifera adſunt annua, Chriſte, tui.
Nempe tuorum participes vt cunq; dolorum,
Pœnarum, humana, & pro ratione ſimus.



RHedo comes populis quà diues Hetruria, & armis,
Luxuriat multis inuidiosa bonis:
Inuentorq́, auctorq́ fuit nostri ordinis, vnum est
Hoc cuiuis, summo fundere vota Deo.

Linea habet læuam, dextra est armata securi:
Spectat humum matrem, nec tacet ore caput.
Ex humeris vestis fuligine defluit atra:
Vitæ inconueniens barba nec ipsa suæ est.

Quæ peperit Dominum ipsa suum, cœliq́ parentem,
Verus homo vt lueret crimina nostra Deus.
Post partumq́ etiam virgo illibata remansit,
Patrona est nostri sancta sodalitij.

Nate Deo, votis felix allabere nostris:
Nate homine, humanis lapsibus æquus ades.
Non errat satagens matrem, matriq́ parentem,
Et natum rebus dexterum habere suis.

S. Sophiæ

Dia ea quæ terras ſapientia, & aſtra tuetur,
Quæq; adeo æquoreas temperat una vices.
Largitur nomen nobis, cui congrua veſtis
Vt foret, en ipſo candida lacte mage eſt.

Sic tamen vt crux rubra illi intertexta notet, nos
Debere ante oculos ſemper habere crucem.
Quam meditari una eſt, vera & ſapiẽtia, non quam
Mundus amat, vere eſt ſomnia, verba, nihil.

PVrpureo quaquà membra inducuntur amictu:
Qui ſolis nobis penè tributus honor.
Cumq; alijs monachis vetitum ſit veſtibus vti,
Commendet rubeus, quas tyriúſve color.

Quod vetitum eſt alijs monachis, nobis licet vnis:
Gratia quæ tanti ſigna fauoris habet:
Soli etiam erepto vt dicamus iura pudori:
Litiget & noſtro femina læſa foro.

HOc habitu, hac animi ſtetimus pietate potentes,
Dum recti nobis debita cura fuit.
Sed poſtquam fortuna animos mutare ſecunda
Cœpit, & eſt vitijs cura ea victa ſuis.

Dum Curios ſimulare foris, potare domi dum
Gaudemus, proni criminum in omne genus:
Momento quà Europa patet caſi vndique eodem,
Teutonicis noſtras liquimus exuuias.

His Cæleſtinus voluit nos veſtibus vti
Qui duos inter iuſſus habere locum eſt.
Sineq; dum capis, hunc dico, qui Præſul in orbe, &
Vrbe tua è monacho, Martia Roma, fuit.

Rurſus Romano & monachus de Præſule, vitam in
Cærulea hac voluit claudere veſte ſuam.
Nempe nihil præter cælum & cæleſtia curæ
Huic tam diuino templa fuiſſe viro.

Benedi-

(Cœpit ordo sub Ioanne I. pontifice, anno 526.

CAssini (at cui iam non noti?) cœpimus, omni &
Exiguo sparsi tempore in orbe sumus.
Leges & nomen Benedictus tradidit, idem his,
Nos manibus, velis induit, ipse suis.

Inseruitq; librum dextræ, baculumq; sinistræ,
Et iussit memores esse quid illa velint.
Nimirum haud potuit magis apta, & idonea nobis,
Officia quàm quæ sint monitura, dare.

SIcinis omnis homo, in cinerem quandoq; resolui
Debet, quis debet gratior esse color:
Vilia quàm mea qua me inducere membra videtis
Est vestis? semper me admonet ille mei.

Dumq; monet, iubet in solis, radicibus vsq;
Contentum herbarum viuere posse locis.
Quisquis amas seruire Deo, fuge mœnia, & vrbes,
Apta silet studijs vnica sylua tuis.

CLara dedit exemplum, Franciſco edocta magiſtro,
Qui Franciſcanis iura ſacrata dedit:
Hoc habitu incedendi illis, quæ cuncta peroſæ
Mecum, quæ in pretio curaq́ mundus habet.

Arderent vni ſemper ſeruire tonanti,
Huic cuperent noctu, huic poſſe vacare die.
Hà miſeræ, quæ non exemplo ſpernere noſtro
Audetis vanas quas habet orbis opes.

NOs penes est sancti custodia sancta sepulchri,
Quo triduo iacuit condita nostra salus.
Quod studio sat agat nostrûm cum quisq; diurno
Seruare, & cum iam tempora noctis eunt:

Gaudeat assidueq; uni huic affixus, & hærens,
In sanctas uocem soluere, & ora preces:
Quæ peregrinorum tandem quod munere raro,
Et stipe exigua uiuimus, inuidia est?

Stella-

Stellatorum monachorum ordo.

NOs quoq; fulgentem ſtellam, qua Phœbus ab Horis
Iunctos mane viam carpere cogit equos,
Pragreſſamq; Magos Solymam, geſtamus, ad vrbem,
Inſigne, vnde etiam nomen habere iuuat.

Idem de reliquo color eſt in veſtibus, eſt qui
Stellatorum alijs, quos toga ſola tegit.
Inter & hoc ſolum eſt monachos quod veſte profeſſos
Viuere ſtricta etiam nos mage lege decet.

H. Sclauo-

NOs quoque quod paucis fas est vestimur amictu
Sanguineo, & rubri purpure eiq; sumus.
Sclauorum & nomen nobis aptauimus, illis
Pandere quod Christi cœpimus ore fidem.

Lucrari multos huic nostrum est: vincere nostrum est
Non bene Tartareo subdita regna Deo.
Discite, mortales, vanis præponere verum,
Qui mare, qui terras, qui regit astra, deis.

VEspillonum ordo vulgo despectus, & omen
Triste ferens, cui nos obuia pompa sumus:
Hoc humeros atro, & totum velamus amictu
Corpus vt officio congruat ipse color.

Nec nos trita mouent populi dicteria, cuius
Funesti stulto ducimur arbitrio.
Nam functos si efferre pium sub lege putatum est,
Nunc quoq; cur non sit condere membra pium.

Hac equites Rhodij quondam vti veste solemus:
Hoc habitu in duros bella mouere Getas.
Dextra rotans ensem pro relligione ruebat
In Turcas, clypeo tuta sinistra fuit.

Sed postquam Fortuna Rhodi, siue ordinis illa
Fortè fuit, dominum est ferre coacta nouum.
Funesta quot quot reliqui de clade fuerunt,
Inde Melitenses marte tuentur opes.

Meliten-

ORtum vrbs sancta dedit, Rhodus incrementa, Melite
Nunc habet, & longum hic nos velit esse Deus.
Crux alba indicium est sinceri pectoris, Atra
Vestis habet caussas nec minus ipsa suas.

Quippe animi luctum hac testamur, Turcica q; tam
Tincta fero latè spicula felle volant.
Quasi quando nigros Mauors torquebit in Indos,
Tum demum ex toto candida vestis erit.

Fratres Hierosolymitani sub Gregorio Sexto.

A Sexto lustro iam quingentesimus annus
Iusto sacræ urbis ibat ab excidio:
Intra semirutam cœtu cum cœpimus illam,
Facto, communi viuere consilio.

Et quia terra cinisq; sumus quandoq; futuri:
Primus vt è terræ corpore cœpit homo.
Terreus ac luteus color est in veste, rubræ quæ
Signa crucis, proprij vt tesseram honoris, habet.

NOs reliquo misit diuisa Britannia ab ore,
Vndiq; qua Oceano conditur illa suo.
Vtq; ortum dedit hæc, sic inuenti ordinis olim,
Laudem nescio quis iure Iacobus habet.

Extima litoreas imitatur vestis harenas,
Flaua quidem, sed non flaua ea tota tamen.
Vtq; magis posses scire in regionibus ortos
Æquoreis, pectus concha marina tegit.

NVllati nullo hoc corpus dignamur honore,
Atque ideo atrata veſte tegi ſatis eſt.
Supplicibus nempe ille color gratiſſimus vnus,
Sæpe etiam vires vocis amictus habet.

Porro quid præter nobis orare relictum eſt,
Ieiuno aſſiduas fundere & ore preces:
Quos niſi reſpicias vultu, Deus alme, benigno,
Tartarei regis vincula dira manent.

Hoſpitalis



PAuperibus vigilat mea cura, & conſulit ægris,
Auſa per exemplum, qua potis, ire Dei,
Tota nigra eſt veſtis, ſed pectus candicat intus,
Proximi & vſq; pio languet amore ſui.

Hunc foueo aßi duè, tergoq;, lauoq; viciſſim,
Externa quamuis ſit procul ille domo.
Pro quibus officijs dic verba precantia, egene,
Chriſtus vt à vitij me quoq; labe lauet.

SAluum hominũ per quem genus est è faucibus orci,
Et Stygium didicit rumpere posse iugum.
Præbuit, vt nomen, sic caussam vestis, ei quo
Conueniens aliqua hæc cum ratione foret.

Qui purus scelerum vitam cum duxerit omnis
Expertem noxæ, quis magis aptus erat,
Quàm color hic purus, testatus gaudia, mente
Cerberei capimus quæ domito ore canis?

NOs quoq; pullo habitu ex Solyma descẽdimus vrbe
Quæ fuit in cunctis vrbibus vna caput.
Nunc etiam sancti lætatur honore sepulchri,
Quo triduo iacuit virgine natus homo.

Cuius ne quandoque parum meminisse putemur,
Admonet hæc rubeis crux sui vbique notis.
Dextraq; cum terram signet manus, altera librum
Fert, qui mandata carmina legis habet.

PEtri norma mihi, Petri lex vita, quis hunc non
Ordinis auctorem iactet habere sui?
Cui quia cœlestes donatum est claudere, clausas
Cœlestes q̃ datum est posse aperire fores.

Nos geminas vesti claues inteximus atræ,
Atq̃ hac insignes, cum ratione sumus.
Augustino alij stent, Francisco q̃ potentes
Ergo nos Petri ferre tropæa iuuat.

Iniesu-

TEmpla domus nobis sunt tectaq; nostra, labore
Victitat & dextra, quod pote, quisq; sui.
Néve graues cuiquam sint nostri, hic sarcit, at ille
Assidua ferrum mollit, & æra manu.

Ast alter sexus, (neq; enim non femina nostri est
Ordinis) artifici lintea pingit acu.
Nempe hæc vita fuit priscis, qui luce docebant,
Et faciendo operi tempora nocte dabant.

ARbitrium Augusta Roma alter Iulus habebat,
Imperij & princeps Æmilianus erat.
Tempore quo nobis extremis inditum ab Indis
Nomen nunc etiam quod fuit antè, manet.

Nimirum inuentis nouiter tot gentibus, & quæ
Vndique sunt vasta oppida cincta mari.
Debuit accessis fieri ad sacraria nostrûm,
Qui tegimus pura pallia pulla toga.

NOn vlli studio scelerata pecunia tanto
Quæritur, & census diuitioris opes:
Quanto omnes gazas, irritamenta malorum,
Nostra nec immerito, prouida cura fugit.

Ingens thesaurus nimirum vltronea nobis
Paupertas & opes maximæ, habere nihil.
De reliquo magna est nudo per rura voluptas
Ire pede, & sanctæ huic oscula ferre cruci.

INſtruxit ſtricto dextram mucrone Iacobus,
Iuſſit & armatos ſemper habere manus.
Diſtinxitq́ habitum, veſtitus candidus atras
Vt tunicas, niueo & lana colore tegat.

Nimirum niuea vt teſtetur ſimplicitatem,
Fortem animum in cunctis pallia nigra malis.
At gladius promptam fidei ad tutamina dextram,
Turcarum quotiens ſurgit in arma furor.

Præmon-



NOrdbertus pietate potens, dignuſq́ merendo
Duorum ſanctis inſeri in ordinibus.
Ordinis eſt auctor noſtri, da, Chriſte, quod audit
Nomine, repræſtet, curet & illud opus:

Præmonſtratenſes vt cum dicamur, adoras
Monſtremus cœli quod bene ducat iter.
Monſtratumq́ alijs recte inſiſtamus & ipſi:
Vita vt ſit niueis par ſine labe togis,

TEutoinci ſplendoris eques, Germana propago,
Pro vera haud lenti relligione mori,
Vt fidei, Chriſte alme, tuæ, & pietatis amantum
Dicuntur Rhodij dextra, ſiniſtra ſumus.

Crux inſigne illis, crux grata inſignia nobis:
Auſpice qua quid non mens generoſa facit?
Sint alijs aquilæ, torui ſint ſigna dracones,
Hæc noſtra ſpes eſt vnica militiæ.

CRux ſtellata tegens pectus dat nominis omen
Nobis, quo quodnam pulchrius eſſe poteſt.
Promiſſo & pullo membra inducuntur amictu,
Hic placet ante alios, hic iuuat ora color.

Cæterum, vt in media veneramur luce Deum, ſic
Diuinam tenebris vſque vocamus opem.
Et ne nuda parum proſint, ieiunia, cœli,
Aſſidua ad ſummi culmina, vota, ferunt.

Candida sint alijs, sint pullá ve pallia, nobis
Qui medius color est inter vtrumque placet.
Inter texta cui clamat crux rubra colori,
Este, homines, memores tempus in omne mei.

Hæcq́ adeo causſa ipſa fuit purgantibus vltro
A flammis quod nos nomen habere iuuat:
Purgati ritè hic vt non ſubeamus in æuum
Tartareo ardentes ſulphure & igne lacus.

Antonia-

ANtonI, hoc habitu, quot quot ſunt de grege, gaudẽt
Semper qui indicium triſtitiæ ater habet.
Atra at vt illa tamen cœleſtis picta coloris
Sit cruce, ſeu longa eſt inſtita, ſiue toga eſt.

Dextra campanam fert, quam per rura, per vrbes
Dum pulſat, laxus corrogat æra ſinus.
Quid dare turba negas? dederis quo plura, ſuilli
Carnar I domina hoc vberioris eris.



VNum si demas it quingentesimus annus,
Legibus ex quo stat regula nostra suis:
In quîs præcipuum hoc, tota non carnibus uti
Vita, non quouis cætera & esse die.

Et quia non minor est virtus quandoq; tacere,
Quàm sæpe humanis, sensibus apta loqui:
Pythagoræ veluti iurati in verba, silemus
Plurimùm, & ad solum soluimus ora Deum.

REs Italas Cæsar ferro populatus & igni,
Debita pro imperio dum gerit arma suo.
Nos Mediolano extorres Federicus agebat,
A barba nomen cui ratione datum est.

Sed mox dignatus venia permisit habendum
Hunc habitum, niueæ & vestis honore frui.
Vir mulierq́; igitur tantillo tempore in, huius
Ordinis, innumeris cœpimus esse locis.

PRæcipiente illo qui magnus nomine dici
Dignatus ſacras tàm bene adauxit opes,
Candidus huic veſti color eſt, quam cernere promtu,
Si non quàm veſtis, nos mage vela tegunt.

Pectore crux ſignata notat no spectore in ipſo
Inſculpatam quouis tempore habere crucem.
Cetera certa ſua poſſunt conſtare figura:
Et tua iam properat proxima adire manus.

Ambro-

ERgo habitus non est hic cum grauitate decorus,
Nil fuci, multum simplicitatis habens?
Talem hunc gestabat, felix Ambrosius olim,
Non auro, aut opibus, Lydie Crœse, tuis,

Sed felix pietate sua, & sermone diserto,
Neruosis blandi ac viribus eloquij.
Christe face vt velut is multa ad te millia verbis
Perduxit, simili fruge beemus humum.

NVlli doctrina, nulli pietate ſecundus,
Laudem Auguſtinus ordinis huius habet.
Officium noſtrum eſt hortari ad ſidera mentes
Erigere, à vili & tollere pectus humo.

Officium eſt vitium omne, malum vt, vitare docere,
Virtutisq; vias ad ſupera aſtra ſequi.
Fac, Deus, vt quæ alijs ſæpe inculcamus, ea ipſos
Nos non feciſſe haud arguat vlla dies.

Ambrosianus ordo candidatus.

VEste nec in nostra quod carpas iure videbis,
Sis Momo lingua liberiore licet.
Albam nam quod nos illam præponimus atræ,
Quis non hoc fieri cum ratione putet?

Auctor qui nobis primùm extitit ordinis, vti
Albo præ pullo iure colore iubet:
Candidus omen habet quod faustum, triste quod ater,
Quod magis hic nocti conuenit, ille die.

NOs quoq; ſignum illud, mors in quo victa, nigraq;
Aula Dei, & ſtygij eſt ira repreſſa canis.
Nos quoq; ſignum illud geſtamus pectore, & atra
Contegimus meritò viliа membra toga.

Aſſidueq; ſacros dextra, lauaq; libellos
Geſtamus, cupida & voluimns vſq; manu,
Otiane, ſemper vitiorum pabula, pectus
Inficiant vanis pernitioſa iocis.

Eremita

NOs etiam, Auguſtine, tuos iactamus alumnos
Nos eſſe, atq; à te tradita iura ſequi.
Siluicolæ dici at gaudentes, haud tamen omnes
Eligimus nobis deuia rura domos.

Non minor eſt virtus vrbes nempe, oppida & inter
Veridica ſanam ſpargere voce fidem,
Quàm ſolas inter ſoli ſibi viuere ſiluas,
Et vaſtis Chriſtum concelebrare locis.

A Speculis nomen trahimus, gerimusq; per vrbes
Pallia, quæ sint quàm lilia pura magis.
Nupera nec res nos, vt se multi esse fatentur,
Sed potius priscis annumeranda sumus.

Signat crux stomachum nigra, & nos protegit omnes
Aduersus stygij principis insidias.
Circulus eiusdem & nos admonet vsque coloris,
In se sic longa cuncta redire die.

MEns humilis lacrymis rorantia lumina terram
Spectare, atque iſto incedere more iubet.
Mens eadem tunicas intra ſic brachia mandat,
Et iunctas arctè ſemper habere manus.

Ambulet exertis alius: nos ſacra profeſſos
Conueniens habitus cum pietate decet.
Candidus ergo etiã hic, ſcelerum teſtatur, amictus,
Nos ſemper fœda velle carere nota.

MOenia principium nobis laudata dederunt,
Quæ Constantini à nomine nomen habent.
Inde alias etiam in terrarum venimus oras,
Nec stant nostra uno templa sacrata loco.

Vestis summa rubet, viridis quam subter amictus
Spem nostram in Christo usque, usq; virere notat.
Sed nec crux geminata vacat, quæ fulua monet nos
In signo hoc stygij vincier arma Dei.

Hungari-

Sanguineo tunica est, rubro chlamys inde colore,
Quas gerere Hungarico ex ordine gaudet eques.
Insigne est, viridis, quam malunt candidã, & atrum,
Crux alij, in læua vt parte videre potes.

Da Deus hostiles perfringere pectore turmas,
Quæ spernunt Christum, turba prophana, tuum:
Hungaricis iterum vt redeat fors pristina, regnis,
Inq; tuas laudes omnia rursus eant.

NE victrix caro se vitiorum in forte barathrum
Præcipitet, spreta & rem ratione gerat:
Scinditur à nobis mordacibus illa flagellis
Assiduè, & rubris pungitur usq; notis.

Nomine quo si quis mentis nos esse putabit
Non nostræ, cura hic ipse medentis eget.
Vincere qui carnem, Stygij, & vult arma tyranni,
Non aliàs quàm sic, credite, victor erit.

ANglia dat gratum nobis Ciſterſia nomen,
Auctores Anglos ordo vti noſter habet.
Iura ſodalitij Urbanus, legesq́; probauit:
Pontificum qui alter nominis huius erat,

Conceſſitq́; pedi ſeu paſtoralis honorem
Seu magis officijs addidit illud onus.
Quidquid id eſt, atram veſtem chlamis alba tuetur,
Et rubro ſolea inducta colore placet.

QVi Patriarcharũ Hadriaca in Laurẽtius vrbe,
Subiecto dicit qua ſacra iura mari,
Iuſtinianorum primus de ſanguine ſedit,
Hic noſtri laudes ordinis vnus habet.

Iure ſodalitij qui nos dum & fœdere iunxit,
Veſtra dabit vobis regula nomen, ait:
Induſio reliquum migrantem inducere amictum,
Cura ſit, & ſimili cingere veſte caput.

Bern-

MOEst os mœsta decent, nigra hinc fuligine tinctũ,
Ne mirere, caput nigra cuculla tegit.
Illa caput: vestis similis pertingit ad imos,
Vt constent quauis hæc sibi parte pedes.

Auctorem quæris tristis quicunque coloris,
Cúr ve oneret grandis brachia nostra liber?
In promtu quod quæris habe, liber vtilis omni est
Tempore, Bernhardi cætera cernis opus.

FRatercro Mariæ sociamur nomine, natus
Det Maria fratrum mutuo amore frui.
Post q̃z huius vitæ dccursa pericula donet
Cœlestum æternis iungier ordinibus.

Inter ea interior vestis candore niuali rst:
Exterior pullo posse placere cupit.
Nempe idem quia non est semper in æthere vultus,
Nostra alternatus hoc xiuat ora color.

SI viridem in nobis quis demirare colorem,
Hic, reputa, gratus quàm sit vbiq; color.
Gramine vestiri campos viridante videmus,
Arboribus virides vere redire comas.

Nos etiam memores ergo nos graminis instar
Florere, & parua posse perire mora.
Excidat vt ne vnquam hoc nobis fortasse, virorem
In vestitu ipso semper habere iuuat.

HOc habitu princeps voluit voluit nos ordinis vti
Nostri, albæ mentis qui foret indicium.
Idem ingens posuit, centum & sublime columnis
Templum: præcipuæ quod fuit artis opus.

Iussit & hic media nos munera nocte tonantis,
Munera nos medio commemorare die.
Nimirum melius nihil est, nil quod magè præstat,
Quàm laudare Deum nocte. die q; suam.

Ioſephi

PAtronus nobis is eſt, quem dia propago
Dignatus patrio Chriſtus habere loco eſt.
De reliquo cinerem interula, exteriora colorem,
Intacta referunt pallia noſtra nuus.

Det Deus vt, tanquam hic illibatiſsimus exſtat,
Ille in ſe noſtri quo admoneamur habet:
Humana noſtrûm ſemper ſe lege creatum,
Quiſq; memor, vitijs imperet vſque ſuis.

MOntis Oliueti monachus qua cernitis vtor
Veste, vel intacta candidiore niue.
Iam rasum caput & mentum sunt symbola mentis,
Pullare in vetitum quam prohibemus opus.

Non nihil est vixisse orbi, & nunc viuere Christo
Soli, cuius inest pectore tantus amor.
Vnicum vt assiduo hunc studio meditemur: vt vnus
Curaq́ sit noctu, curaq́ nostra die.

NObis & nomen dedit & crementa Gerundus:
Cauſſa Gerundini prima ſodalitij.
Iußit & albatos ſemper procedere, iure
Exoſus pullæ non bona ſigna togæ.

Addidit albatam vt ſignet pro pectore veſtem
Tænia bis certis bis geminata notis:
De quîs cum virides referat pars vna ſmaragdos,
Pars tanquam fuſo ſparſa cruore rubet.

NOs quoq; Bogardi vel ſummo iure vocamur,
Sit modo cum venia, candida turba, tua:
A qua quod pullo ſic diſtinguamur amictu,
Ignoſcas, non eſt omnibus vnus amor.

Nec quam veſte alij credunt ſe ornarier alba,
In pullo eſt animi fortè colore minus.
Quot ſunt ferme homines, tot ſunt ſententiæ, & vnus
Quiſq; ſuæ inuentum, ſenſaq; mentis amat.

Iohan-

ORdinis à noſtri reliquis diſcernit amictus,
Nos tecta & pullis pallia nigra togis.
Crux reliquum nobis commune inſigne, videre eſt
Quam læuum intextam pallio habere latus.

Crux hæc quæ moneat proſigno fortiter armis
Vtendum in diros, barbara corda, Getas.
Ite viri, ſtricto nobiſcum Turcica ferro
Imperia externos pellite ad Armenios.

VEſtis rubra notat fuſinos, Chriſte, cruoris
Eſſe omni memores tempore velle tui.
Intextumq́ ideo calicem geſtamus in illa,
Crimina eodem quod ſanguine noſtra lauas.

Sed neq́ & hoc ratione caret quod dextra libellum
Fert, ſeu nox ſit, ſeu lux eat alma, manus:
Nimirum tua teſtatur promiſſa die ipſo,
Teſtatur lapſo commeditanda die.

INterior, pulla est, niuea est extraria vestis,
Lazareo hic aptus nomini vterque color.
Ille quidem vita functo, tristiq; locato
Sarcophago, hic reducem dum videt ire diem.

Quod nos dum factum assiduè meditemur, ab illo
Dici etiam, haud alio, & nomen habere iuuat.
Quisq; adeo potior, quàm cuius posse renasci
Nos decet exemplo vita secunda suo?

DEcretum eſt nil molle pati, nil more recepto
Induere, à nobis, lintea, lana procul.
Voſq́ adeo ſaluete vrbes, longumq́ valete:
In ſolis certum eſt frigora ferre locis.

Hicq́ cathenata veſte vti, & ferrea tergo
Pectoreq́, vt noctu, pondera luce pati.
Scilicet, his etiam hic vſus non vanus in armis:
A ſolo humano ne tegere hoſte putes.

VVilhel-

Siue VVilhelmitas Burgundo à principe dicas,
Cuius mens in nos dextraq́ prompta fuit.
Siue Auguſtini dederis de nomine nomen,
Conueniens nobis illud, & illud erit.

Auguſtinus enim noſtri vt fuit ordinis auctor,
Munere ſic dicti creuimus vſque decus.
Quin nec parua Bonus dedit incrementa Iohannes,
Sicq́ ſumus dono, quod ſumus omne, trium.

ORdo Capellanus pullumq; atrumq; colorem
Caruleo miſcens, membra tegenda tegat.
Quo ſibi quid ſacra turba velit ſi noſſe laboras,
Vilis ait, color eſt, vilia membra ſumus.

Conueniens ergo eſt habitus ſpernentibus omnem
Ornatum, blandis aptaq; delicijs.
Non bene lætitiam præfert in veſte, dolere
Æquius eſt culpæ quem malefacta ſuæ.

VMbroſæ vallis monachi ratione vocamur
Hac, ſimili in nobis eſt quia valle domus.
Auctor neſcio quis cuius Gualbertus in æuum
Hanc auctæ laudem relligionis habet.

Vrbs Auguſta caput cælo, Florentia, tolle,
Nobiſcum & precibus, dum datur hora vaca.
Nec vicina tibi contemptus templa colentes,
Quorum habitum admirans extera terra videt.

ME quoq; Carthusy fraterno iure fatentur
Albati, esse sui in parte sodalitij.
Vestitus sed enim quia nobis pullus, at illis
Candidus est, à se seorsum habitare iubent.

Nec refert sanè hîc vtrum iungamur, an ædes
Diuersas statuat ille, vel ille, sibi:
Dum modò in ætherio cincti iungamur olympo.
Hoc da, pro vili & cætera, Christe, iacent.

Cellu-

CEpimus à cellis nomen, quia ſemper in illis
Noſtra ægris gnauè cura, laborq; vacant.
Quos adeo haud timidè noſtri eſt accedere moris,
Vt neq; mors telis nos fuget ipſa ſuis.

Illa licet regnet per rura, per oppida victrix,
Sternat & infami corpora cuncta lue.
Nos tamen intrepidi morientum claudimus ipſa
Lumina, & hinc facili contumulamus humo.



NOs quoq; te auctorem nobis laudamus eremum
Laudandi, atherei, pars, Benedicte, chori.
Veſtitu quq; ipſum hoc teſtantes, vt imur atris
En tunicis, iußis turba dicata tuis.

Ergo quantum alius docto ſermone meretur
Laudis dum ſanctam perſonat ore fidem.
Tantam noſtra etiam ſæcli fuga laudis habebit,
Felices, quibus eſt viuere vita Deo.

VEstales olim sacris per lustra peractis
Bis tria, se poterant consociare viris.
Namq; decem primos discebant rite per annos,
Quæ facerent annis sacra quoq; inde decem.

Quæ restant per lustra duo stata festa docebant,
Et iam legitimi fas erat esse tori.
Nubere nos quouis momento, qua libet hora
Possumus, & legum libera turba sumus.

ET me piscis alit, sed enim quod discolor, atra,
Vestimenta intus. candida, veste tego:
In causſa est indoctus vti secernar ab illis,
Doctrinam comitem qui pietatis habent.

Hincq; etiam longos fas est nutrire capillos,
Cum reliquis rasum laus sit habere caput.
De reliquo tonsis, Deus, intonsisq; perinde
Da tecum astrigeri regna habitare poli.

Canonica

SAcris hoc habitu incédit deuota sacerdos,
Virgineus tenero cui nitet ore pudor.
Compositam mentem nimirum exornat amictus
Compositus, posita & non sine lege coma.

Longa puellares nec dedecet instita gressus,
Quæ niueo cur sit vellere texta rogas?
Simplicitatem animi demonstrat labe carentis,
Et castæ pandit dona pudicitiæ.

Alba mihi est vestis talos à vertice adimos
Quæ niueo nostris iure colori placet.
Nil niue calcata non dum vsquam est purius, & nos
Purum animum in puro corpore habere iuuat.

Quod melius qui quam poteramus veste fateri:
Indicij arcanæ hæc mentis ad instar habet.
Nec frustra medio est intextus pectore forfex:
Tu tamen ingenio quære quid ille velit.

SÆcula iam plenus quot constat mensibus annus,
Præterea æstates terq; abiere decem.
Paulo Paulini cum cœpimus esse magistro,
Et solis vitam ducere velle iugis.

Qui sapiet, turbam vitet, iactatio mentis
It turbæ quaquà, vt crimina mille, comes,
Turbam, inquam, vitet, quisquis bonus esse laborat,
Peccandi caussas compita semper habent.

Linea tota pedes vestis nos cingit adimos,
Quam vili mediam stringere reste iuuat.
Terra torus nobis semper, nec nota voluptas
Est pluma, molles efficit illa viros.

Sed neq; quam lectum, cura potiore culinam
Instruimus: nimiam & fons leuat vsque sitim.
Delitias alij media sectentur in aula,
Nobis rura inter sobria vita placet.

Lega-

SEdis Apoſtolicæ diplomata ſpargere noſtrum eſt:
Perq́ peregrinas mittere ſcripta manus.
Rurſus & à magno ſi quis quid Præſule poſcit,
Poplite quem poſito Roma ſalutat ouans:

Per nos confieri ſolet omne hoc: gratia quorum vt
Maxima cum fuerit, maxima ſemper erit.
Principibus placuiſſe aly, nos principum & ipſi
Iactamus ſummo nos placuiſſe patri.

Regularium seu dominorum chori ordo.

REgula certa mihi nomen, leges q3 dat, aut si
Hoc alius nomen vindicat ordo sibi.
Certè hoc non poterit, proprio quo iure vocamur
Officij, domini &, pro ratione, chori.

Cantus & psalmi, nimirum at q3 organa nobis
Sunt studium: summo & vox operata Deo.
Ductores celebrent alij, terra q3 monarchas,
Vnicus hic nobis vsq3 monarcha placet.

Quid cruce ſignatum pectus velit, haud reor vlli
Ambiguum: nempe hanc pectore ferre decet.
Non dico exterius veſti in textam modo, at ipſis
Inſcriptam interius menti animoq́ magis.

Vnica crux ſiquidem noſtris medicina malis eſt,
In cruce, Chriſte, orci victor ad aſtra redis.
O magno ſemper venerandum ſymbolum honore,
Vindice te Styga nil cur vereamur erit.

FRanciſcanus honos cinerem referente colore eſt
Veſte vti, & raſum ſemper habere caput.
Quemq; alij collo medio nos corpore funem
Geſtamus, nummi neſcia turba, patres.

Eſſe parum eſt patres, fratrum quoq; voce vocari
Gaudemus: vera eſt qui pietatis amor.
Nimirum affectu, in nobis qui maximus olim eſt,
Fratres conſilij dexteritate patres.

Obſer-

Anno 1212.

NOs reliquo auctoris diſcernit ab ordine noſtri
Non tam veſtitus, quàm ratio ipſa cibi.
Nam reliqui certis cupiant cum poſſe diebus
Carne vti, & pingui de petaſone vorent:

Eliziſq; nec abſtineant, aſſisq; ferinis,
Et quacunq; caro cocta placere poteſt.
Nos ſolis ventrem latrantem paſcimus herbis:
Crudum & delitias ſæpe vocamus olus.

a Carmelita.

Carmeli fratres meritò de monte vocati,
Principium nostra qui pietatis habet.
Inde agros passim, passimq; impleuimus vrbes:
Fama nec est paucis cognita nostra locis.

Nescit enim illustris virtus pietate latere,
Non magè quàm medium sol tenebrare diem.
Insolis iaceant terrarum pondera terris,
Nos decet officij quemq; monere sui.

Dominica-

SVnt qui præcedant nos longè ætate, fatemur,
Nec laudem hinc noster vindicat ordo sibi.
Sed propriam nobis contra quam nemo negabit,
De tali hac certum est cedere velle nihil.

Quantũ etenim reliqui vincunt nos tempore, tantũ
Nos numero ante illos turba diserta sumus.
Ergo suis alij statuant sacraria, nobis
Hic templi, ingentis qui modus vrbis, erit.

Valetudinario ſeruientium ordo fœmineus.

NOn ego deuotas auſim temerare miniſtras,
Quæ ſanctis celebrant cœlica templa choris:
Sit licet ipſarum laus maxima, maior at illa eſt,
Quam noſter meritò vindicat ordo ſibi.

Quippe Deum laudant etiam ratione carentes,
Dum varia in laxant murmura guttur, aues.
Nos peregrinorum, atq; ægrorum laſſa fouemus,
Aſſiduaq; libens membra leuamus ope.

Ordo

A Triade est nobis, quæ continet omnia, nomen:
Nomine quo nullum gratius esse potest.
Hispanis certè longè notissimum in oris,
Quaq; suam Betis, quà viam Iberus habet.

Stipem vbi dum, redimi qua possint Turcica collo
Gestantes sanctam ob, Maurá ve vincla fidem,
Cogimus, in certam spem surgimus & fore quondam
Nostra etiam à Stygio libera colla iugo.

Bonifacio IX. Pontifice.

SPirituum alborum censemur nomine, si non
Nos Bogardorum voce vocare iuuat.
Vtq; vides ipsa nomen vel veste tuemur,
Quæ puræ Specimen simplicitatis habet.

Firmauit verò nos nostraq; cœpta probauit
Romani præsul maximus imperij.
A bene qui nonus faciendo nomen habebat,
Ad plures sæclis hincq; duobus ijt.

FRANCOFORTI
AD MOENVM, EX OFFICINA
MARTINI LECHLERI, IMPEN-
SIS SIGISMVNDI FEYRA-
bendij.

M. D. LXXXV.

FRANCISCI MODII

Liber singularis:

IN QVO CVIVSQVE ORDInis Ecclesiastici origo, progressus, & vestitus ratio breuiter ex varijs Historicis quasi delinea tur.

Ad

NOBILISSIMVM IOANNEM CHRIstophorum Neustetterum, cognomento Sturmerum; Bambergensem, VVirzeburgensem & Combergensem Canonicum, &c.

Francofortii impensis Sigismundi Feyrabendij,

M D XXCV.

Franciſcus Modius Lectori S.

MIRARI Te nolim, amice Lector, ſi hic tibi libellus de phraſi ſibi parum interdum conſtare videbitur, ſiq; adeo multa in eo delicatis tuis auribus, vt ſemilatina alia, alia nimis protrita, quædam etiam planè barbara non ſatisfacient, non aliter enim velis nolis hæc tradi poſſunt: niſi fortè in rebus nouis vetera aliquis vocabula vſurpanda putabit, quotieſq; exempli gratia, ſacerdotis aut presbyteri vox occurrit, toties flamen dicendum fuiſſe, atque ita de cæteris contendet, cum quo tam Latino, imò nimis Latino, mihi pugnare nunc quidem non eſt conſilium, quòd vel communibus verbis res in medio poſitas & vſitatis explicaſſe ſatis putem, vel hoc certè cuiuis ſufficere poſſe exiſtimem, vt dictionis inæqualitas quoque, quæcunque occurret, quo excuſetur, habeat, libellum hunc in ſumma temporis anguſtia non ſcripſiſſe me, ſed exſcripſiſſe potius, de verbis ſecurum, dum rem hic tam latè patentem, quam norunt illi, qui ante me huiuſmodi compendia colligere tentarunt, paucis paginis chartiſq; explicatam darem. De cætero vale nunc, & qualibuſcunque his fruere, abſolutioraq; ab ocioſo aliquando exſpecta.

DE PONTIFICIBVS ROMANIS EORVMQVE CONSTITVTIONIBVS.

DE OMNIVM ORDINVM Romanæ Ecclesiæ subiectorum hominibus sacris initiatis dicturi, quàm breuissimè res tam latè patens, tamque altis antiquitatis, ac tot retro seculorum abditis eruenda patietur, à quo potius initiũ faciamus, quàm ab ipso capite totius eiusdem Romanæ Ecclesiæ, quem Papam, seu alio nomine Pontificem maximum dicimus. Igitur hic, siue Pontifex est eorum exemplo appellatus, apud quos vetustissimis quoque temporibus qualiumcunque tum sacrorum summum ius erat, quosq; Scæuola I. C. à posse & facere, Varro verò à pontis sublicij cura sic nominatos censet, seu Papa potius, quod Latinis sonat pater: sic enim ab ipso B. Ignatio tertio post B Petrum Antiochiæ Episcopo diserte Epist. 1. & quidẽ his verbis indagatur: Πρὸς Μαείαν ἤκουσε περὶ σοῦ ἐπύθησθε σοῦ ἐν τῇ Ρώμῃ παρὰ τῷ μαθητῇ Πάπᾳ Ανακλήτῳ, hic, inquam, Romanæ Ecclesiæ princeps, originem dignitatis & prorogatiuæ suę ad ipsum D. Petrum conditorem eius referens, absolutamque in vniuersum clerum habens potestatem, multa iam inde à principio ad nostra vsque hæc tempora, quibus ducentesimus trigesimus (vt amplius triginta octo pseudopontifices mittam, per schisma, aut factionem creatos, ideoque in legitimorum numerum non relatos) ex ordine præest, & ad venerationem sui, & ad religionis propagationem, conseruationemque sanxit, edixitque nonnullis etiam ritibus, cerimoniisque moribus atque vsu ipso introductis, quibus res

Vide Varronẽ libr. 4. de lingua Latina.

Eccle-

Ecclesiastica hodieque durat. de quibus vt distinctè paucis differamus; priori loco de institutis ipsorum pontificum, inde de iis agemus, quæ ad eosdem quoque pertinentiam, non tam legi, quàm obseruationi, atque vsui debentur, longeque atque inueteratæ consuetudini, quæ in multis pro lege, imò ante legem adeo est ipsam. Ergo ad ista quod attinet

Alexander V. seu, vt volunt alij, VI. à B. Petro Pontifex, & aquæ lustraris conseruationem, & aquæ cum vino mixtionem Eucharistiæ, itemque ne communi in posterum & fermentato pane Eucharistia celebraretur, Traiani Imp. temporibus primus sanxisse fertur. Anno Christi 109.

Telesphorus ab Alexandro, quem diximus, secundus, hoc est, octauus, aut certè nonus ex ordine Papa, quadragesimalis ieiunij, quod sub Pascha præcipitur obseruationem. 127.

Pius, primus hoc nomine, successor Telesphori, aut, vt alij, Hygini, vt pascha die solis siue Dominico celebraretur. 142.

Anicetus & ipse Pij I. successor tonsuram Ecclesiasticorum. 153.

Zephyrinus siue Seuerinus Papa XIV. vel vt alij XVI. vt vitreo calice cœna Domini administraretur. 198.

Vrbanus XVIII. Pont. vt censent Pontificiarum vitarum scriptores plerique, at huius nominis primus, ieiunium quatuor temporum. 223.

Antherus XX. in numero, vt vitæ martyrum per Notarios conscriberentur. 236.

Fabianus Antheri successor excommunicationem in eos, qui Ecclesiasticos iniuria affecissent. 237.

Dionysius I. Pontifex vigesimus sextus, definitiones prouinciarum, diœcesium & parochiarum. 260.

Felix, qui Dionysium in Pontificatu secutus est, dies festos, & sollennes ritus templa dicandi. 271.

Eusebius XXXII. Pontifex festum inuentionis S. Crucis. 310.

Anno Christi

311. Melchiades, eius successor, die Dominico non esse ieiunandum.

314. Syluester, Melchiadi item suffectus, extremam vnctionem, & vt chrisma à solis Episcopis consecretur.

336. Marcus XXXV. vt symbolum sub Euangelij recitationem canatur.

366. Damasus XXXVIII. vel vt alij XXXIX. vt psalmi choris alternantibus canerentur, & ad cuiusque psalmi finem accineretur Gloria patri, &c.

384. Syricius successor Damasi, vt, qui viduam in matrimonio habuisset, ad sacerdotium non admitteretur.

398. Anastasius I. Syricio suffectus, vt ad recitationem Euangelij ab omnibus assurgeretur.

401. Innocentius XLII. inter Pontifices, sed hoc nomine primus, diei sabbathi ieiunium, & vt pax ante communionem daretur.

416. Zozimus eius successor, cereorum pridie paschæ consecrationem.

423. Cælestinus primus, alter ab Zozimo, Offertorij cerimonias.

440. Leo I. Pontifex XLVII. vt Letanię canerentur, Alleluia autem & Gloria in excelsis Deo, toto quadragesimali tempore subticeretur.

492. Gelasius LI. vt Biblia in Canonicos libros, & Apocryphos diuiderentur.

530. Bonifacius II. Pont. LVII. ne Episcopi successores sibi nominarent.

590. Gregorius I. Pont. LXVI. Missę introitum, &, vt Kyrie eleeson nouies caneretur intra Quadragesimam.

604. Sabinianus Gregorij I. successor, vt horæ in primas, tertias, & nonas tribuerentur. sub eoque campanas in vsu esse cœpisse quidam volunt.

Bonifacius

Bonifacius III. vt Ecclesia Romana pro capite, & prin- Anno Christi
cipe omnium Ecclesiarum haberetur. 605.

Bonifacius IIII. immediatus Bonifacij III. successor, 606.
Pantheum ab Agrippa olim dedicatum diis omnibus, consecrauit B. Mariæ, & omnibus sanctis, passim tum multis toto orbe aut templa noua ædificantibus, aut veteribus, pro gentilium nominibus numinum, sanctorum nomina indentibus.

Bonifacius V. alter ex ordine à Bonifacio quarto Pont. 617.
Ecclesias asyla esse iussit.

Eugenius I. Pontifex LXXVII. Carceres ab Episcopis 654.
fieri voluit, in quibus Clericos ipsi punirent. Monialesque absque graui causa monasterio suo exire vetuit.

Leo II. Pont. LXXXII. Baptismum quotidie administrari permisit. 682.

Sergius I. Pon. XXCVI. in Missa tercani iussit, Agnus Dei. 687.

Zacharias Pont. XCIII. vetuit vendi infidelibus Chri- 741.
stianos.

Hadrianus II. Pont. CIX. Imperatoris suffragium ad 867.
Pontificis electionem nullo modo necessarium censuit.

Innocentius II. Pont. CLXXI. excommunicauit, sacris- 1130.
que interdixit iis, qui sacerdotem verberassent.

Innocentius IV. Pont. CXXCVII. Cardinalibus rubros 1243.
pileos gestandos dedit, monachorumque multas orientes tum familias variis donauit immunitatibus.

Vrbanus IV. Pont. CXXCIX. festum corporis Christi 1261.
instituit.

Bonifacius VIII. Pont. CC. Iubilæum instituit. 1294.

Bonifacius IX. Pont. CCX. vel vt alij CCI. aiunt non- 1389.
nulli etiam CCV. Annates induxit.

De alijs circa Pont. morib. introductis eiusdemq; Electione.

Atque hæc quidem ex multis pauca sunt-que breuiter hîc com-

commemoranda putauimus, de Pontificum constitutionibus; nam alia pleraque his consimilia, moribus, vt diximus, introducta sunt, & ad ipsos Pontifices in primis pertinentia maximè illud, quod statim à principio dignitatis suæ, & ante ipsam inaugurationem adeo, nomen plerique mutare consueuerũt, quæ res à Sergio II. initium habuit, qui cùm prius Os porci diceretur, ad nominis eius obscœnitatem tollendam, aliud sibi honestius optare iussus est: manente inde licentia nominis pristini deponendi, atque aliud quodcunque libitum eligendi, etiam in posteros. simile est, quod humeris hominum sublimis Pontifex gestari solet, nam & hoc inde ortum videtur, quòd cùm Stephanum II. ob egregias virtutes sibi eximiè carum populus recenter in pontificem electum exultabundus in humeros suos sublatum in ædem Seruatoris ad Lateranum deportasset, successores quoque eius eundem sibi honorem habere æquum existimarint. prætereo sciens, & pedum venerabundam osculationem, & infinita alia, quæ quòd à vulgari notaque caussa summæ reuerentiæ testandæ nata, ad nos perdurarunt, peculiaribusque adeo libris tractatu accuratiore excutiuntur, summa rerum fastigia sequenti silentio transmittenda potius, quàm parum plenè examinanda duxi, transiturus iam nunc ad alia, nisi verbo etiam prius de iure eligendi Pontificem admonendum Lectorem existimarem: quod quidem ad Constantinum Magnum vsque penes collegium sacerdotum Romanorũ fuit, veniens inde ex parte in populi quoque Romani potestatem, sed sic vt Imperatori probata demum ab vtrisq; facta electio rata esset. hocque durauit ad annum DCXXCV. quo tempore potestas integra hæc sacerdotibus, populoque Romano remissa est è Constantino IX. Imper. quod tamen non diu obtinuerint, more confirmandi Pontificem, mox ab Orientalib. Imperatoribus, ad Occidentales, Carolum magnum, & posteros eius translato: donec postremo anno MLIIII. Nicolaus II.

ad Car-

ad Cardinales ſuos pontificum electionem traxit. quod hodieq; durat. nam licet tum quoque electio talis, tam à ſacerdotibus, quàm à populo Romano comprobanda eſſet, poſſentque creari pontifices etiam illi, qui Cardinalitij non eſſent collegij, vtrumque tamen breui poſt tempore antiquatum eſt.

De Cardinalibus, eorumq; origine.

Cardinales cœperunt (Franciſco Zabarello & Martino Ciſtercienſi hiſtorico auctoribus) anno CCXXXI. ſedente neſcio quo Pontiano, cuius temporibus iidem aiunt Romę ſacerdotes Cardinales fuiſſe CCXXXVI. Certè anno CCLXVII. Marcellus p.m. qui titulos preſbyteris diuiſit, conſtituiſſe legitur Cardinales XV. qui mortuos ſepelirent, & infantes baptizarent. Hæcque vera eſt, conſentientibus etiam Bibliothecario, Damaſo, & Platina, origo Cardinalium, ſic appellatorũ, vt ventos Cardinales dicimus: quòd nempe inter ſacerdotes eximij, eorumque primarij eſſent. licet Canoniſtę in c. ſacroſancta ad finem 21. diſtinction. itemque in c. vbi periculum. §. hoc ſacr. de elect. lib. VI. à cardine dictos velint, qua vt cardine hoſtium, ita Eccleſia bono eorum conſilio regatur: prætereo alios, qui etiam his alieniora fortaſſe ſomniant, ſcapos Cardinales, trabes cardinales, tignaq; adeo cardinalia ex Vitruuio crepãtes, quæ ego præter rem eſſe certo pſuaſum habens, eò reuertor, vt, quod verum eſt ſtatuens, nihil aliud primò cardinalem diu fuiſſe afferam, niſi cui ante alios cura animarum mandata eſſet: atteſtante hoc mihi præſertim Georgio Magno multis locis libri primi epiſtolarum ſuarum. ſed cùm Bonifacius III. ab Imperatore Phoca impetraſſet, vt in omnes Epiſcopos prærogatiuam haberet: cœperunt Cardinales quoque paulatim in eandem amplitudinem excreſcere, cuius hodieque ſunt: obtento poſt varias contentiones Imperatorum, & populi Ro-

mani de Pontificis electione, eius per se creandi primùm iure, & inde accepta anno ferè MCCXLIIII. ab Innocentio IV. potestate equo, ac galero rubro vtendi, in illud argumentum, oportere eos pro religionis defensione sanguinem suum effundere, si ita res postulet, debere semper esse paratos, addidit deinde Paulus II. vestem quoque coccineam. Cœpitque ordo eorum in tria genera sic diuidi, vt alij Episcopi sint Cardinales, & ij quidem numero sex, Ostiensis, Sabiniēsis, Portuensis, Tusculanus, Prænestinus, & Albanensis: alij presbyteri, alij rursus Diaconi; neutrorum tamen certo definito numero.

De Episcopis, eorumq; origine & officio.

Episcopus Græca vox est, idem ferè apud illos sonans, quod apud nos Speculator, propriéque vt Martianus scribit, ij dicuntur Episcopi, qui præsunt pani, ac cæteris rebus venalibus, quæ populis ciuitatum ob quotidianum victum necessarię sunt. Vnde Pontificibus id nomen inditum par est credere, quia quemadmodum illi quæ ad vitam humanam sustentandã pertinent, procurare debent, ita horum vigilando, docendo, bene agendo, animarum saluti consulere interest. id quod vel Clementis I. Pontificis declarat præscriptum, qui fertur decreuisse, vt Episcopalis cathedra in eminentiore templi loco collocaretur, sicut hodieque seruatur, vnde Episcopus vndique speculari posset. Cæterum olim Episcopi vocabantur Presbyteri, teste non vno in loco D. Hieronymo, & præsertim in epistola ad Euagrium, vbi dicit qua de causa Episcopi primùm esse cœperint, ita scribens: Quòd autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet: nam & Alexandriæ à Marco vsque ad Dionysium, presbyteri semper vnum ex se electum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus

Vide L. vlt. D. de muner. & de honor. Itēque epistolam VII. libr. X. Ciceron. ad Att.

ercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter nõ faciat, &c. ex quibus verbis etiam illud discimus, creandi Episcopum ius etiã penes sacerdotes olim fuisse, quod adeo verum est, vt soli primùm diu, inde cõmunicata hac cum plebe potestate, quẽ vellent Episcopum sibi presbyteri, & diaconi optarent: qui mox à cæteris prouinciæ eiusdem Episcopis, ex præscripto Niceni concilij initiabatur. Quorum vtrumque nunc in Pontificis manu est, post multam & variam alternationem in hac re, disceptationesque non paruas, qui & creat Episcopos, & consecrat, vel secundum præceptum Niceni conuentus initiari curat. Nisi quòd etiam hodie hîc reges, & populi nonnulli hoc ius Pontifici integrum & illibatum manere non sinunt.

De Patriarchis.

Patriarchę primis temporibus per aliquot CCCC annos dicebantur iidem, qui & Metropolitæ, & Archiepiscopi, & Primates, à primitiua Ecclesia protoflaminum loco instituti, teste Platina. hodie verò Patriarchatus honos peculiaris est, datumque à Clemente I. Patriarchis pallij ius, statutumque vt crux ipsis præferretur: quibus nunc insignib. ab aliis Episcopis differunt.

Vide concilium Cõstantinopolit. 2. cano. 36. & Iustiniani nouellam 123.

De ordine Monastico, variisq; in eo familijs.

Monachorum vtriusque sexus institutis originem ferè dedere cum magni illi viri, Paulus, Antonius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, cum pleriſq; aliis, tum primariæ fœminę, Marcella, Sophronia, & Paula, nisi quòd monialium origo etiã paulò altius, quàm ab his repetenda ex eo videtur, quòd cùm has vixisse, & velum sumsisse constet, Pontifice Liberio, Imperao-

Anno Christi. 254.

peratorib. verò Constantino II. Constante, & Constantio, sub annum ferè CCCLIII. decreto Soteri Pontificis, qui secundo loco Pij successor fuit, regnante Antonino, anno CLXX. ferè cautum legimus, ne monacha vllam pallam, vt vocant, attrecta ret, néve thus in acerram poneret, dum sacra peragerentur: vnde apparet, iam ab ipsorum Apostolorum propè temporibus monȷalium instituta cœpisse, ideoq; monachorum quouis genere antiquiora, quos ortos Paulo, Antonio, & reliquis, quos suprà memorauimus, constat. qui viri sanctitate pollentes, veluti nouæ religionis plantę in AEgypti, Syriæque quamuis sterili solo feliciter increuere, nullo tamen adhuc certo viuendi ritu. Nam id temporis huius vitæ genus simplex, ac liberum erat, vt istis cærimoniis minimè obstrictum, quas hodie monachi obseruant. Vestitum decentem pro iure suo quisque sumebat: itemque nullum votorum vinculum, ita vt integrum vnicuique foret, manere, aut proficisci quo terrarum vellet: vel si quem eiusmodi sui instituti pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi vitam, non absque tamen inconstantiæ nota. Petebant autem loca vt plurimum deserta, hoc est eremum, vnde eremitæ dicti, quasi eremum colentes, quos Græci Anachoretas vocant: & quia soli viuebant, ideo nostri monachos nuncuparunt, id est solitarios, atque hi à principio precibus, ieiuniis, vigiliis, literarumque studiis dediti, procul ab omni hominum cœtu, tantum duriter victitando, ac se manibus exercẽdo, exemplum bene viuendi omnibus edebant. liberi tamen, vt diximus, & sui arbitrij, donec primus Basilius Cæsareæ Cappadocum Antistes, circiter annũ salutis humanæ CCCXXCIII. obligauit monachos, vt post annum, quam quis in collegium venisset, si in eo vitæ instituto vellet ꝑmanere, voueret, se castè victurum, nihil possessurum, ac dicto præfectorum fore audiẽtem, quo se in perpetuum propria omni abdicarent voluntate. post quod tempus & Benedictus (quem patrem monachorum vocant,

vocant, quod primus in occidente dispersos anachoretas collegerit) multa insuper iisdem obseruanda addidit, in vestitus genere, precandi ratione, & abstinentiæ norma, caussamq; dedit, vt paulatim in plures familias diuisi, certa & peculiari quiq; regula viuere inciperent, alij aliis & auctoribus, & temporibus exorti, perinde vt iam nunc, quàm succinctissimè, & verissimè poterit, ordine Alphabethario à nobis dicetur.

Ambrosiani ab ipso D. Ambrosio Mediolani se institutos prædicant sub Siricio Pont. anno ferè CCXXCV, alij tamē reiiciunt eos in annum CCCCXC. ad Gelasium I. Pont. vtuntur pullo vestitu. Est & alter eorum ordo albatus, qui candidis tunicis rubeam chlamydem superinduit.

Antoniani eremitæ ab ipso quoque S. Antonio sese originem habere dicunt, quem obiisse constat circiter annum CCCLXI. cùm vixisset ad sextum supra centesimum annum, pane, sale, & aqua vitam tolerans. quod imitantes, sed iam ad paucos redacti discipuli ab eo nomen habentes, instaurati sunt anno ferè M.CCXX. Sunt item & alij Antoniani à S. Antonio Viennensi constituti, quibus pro tessera est porcellus.

Augustiniani tam eremitæ, quàm regulares Canonici, & ipsi quoque strenuè Augustinum caput, & auctorem ordinis sui asserunt: confirmantes hi (nam de illis mox dicemus) se in Hipponensi ciuitate, vbi Episcopum agebat, à magistro Augustino institutos, anno Christi CCCXCIV. à quo etiam in vestem acceperint tunicam candidam, cum lintea toga, sub nigro pallio, & tegumentum à scapulis impositum ceruicem totumque contegens caput, præterquam à fronte, à quo tamen habitu ne eremitæ quidem Augustiniani valde diuersi abeunt, nigra tunica vtentes, & concolor tegmen à scapulis ad caput inducentes, subterque candidam tuniculam scortea cingentes zona, bubulo cornu fibulata, licet hos ex quatuor mendicantiū familiis ætate primos, plerique non ab Augustino, sed ritu & le-

gibus eius à Redone quodam Montigranelli comite ad Fesulas initium cepisse velint, Gregorio duodecimo probante. Sunt & alij Augustiniani ordinis diuersis nominibus vocati, de quibus alio à nobis loco memorabitur.

Basilij ordo cœpit vt, & quemadmodum iam supra retulimus in Oriente, circiter annum trecentesimum octogesimum tertium.

Benedictini auctorem suum laudant Benedictum, qui anno ferè 526. dispersos monachos congregauit Cassini, tribusque à Basilio excogitatis votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ adstrinxit, addito singulari vestitus genere, modo orandi, ac abstinentiæ norma. sancienq; vt vestirentur colore nigro, tunica laxiore, & ad pedes demissa, amictu capitis, quem cucullũ vocant, in humeros, & scapulas reiecto breuius, quàm cæteris: subter autem candidã laneam tuniculam, & cilicium gestarent, ocreati genuum tenus. præterea tonderi iussit nouacula à vertice infra dimidium caluæ, capillo infernè reciso in parui circuli speciem circa aures & tempora totum ambiente caput, instar coronæ, vnde & ipse vertex derasus corona nuncupatur. atque hi sunt sic primo ab auctore suo instituti, qui mox mutata, addita aut detracta aliqua re in vestitu, aut viuendi legibus, in varias abiere familias, nomine Cluniacensium, Camadulensium, Vallisumbrensium, Montoliuetensium, Grandimontensium, Cysterciensium, Syluestrensium, seu Humiliatorum, Cælestinorum, monachorum D. Iustinæ, Eremitanorum D. Hieronymi, per Martinum V. Pont. in familiam D. Benedicti adscitorum. de quib. singulis suo deinceps loco dicetur. nunc redeo ad eos, qui Benedictinorum quoque retinentes nomen, vt alij volunt ad D. etiam Benedicti, vt alij ad D. Hieronymi, vt nonnulli ad D. Augustini gregem pertinent: exorti primùm in Italia auctore nescio quo Petro, anno M. CCCC. VIII. sub Alexandro V. Pontifi-

Pontifice, qui vestitu Benedictinorum in totum penè vtentes, hoc ipso stirpem se Benedicti potius, quàm vel D. Augustini, vel D. Hieronymi, esse attestantur.

Bernardini, siue Bernarditæ, dicti sunt ab auctore familiæ suæ Bernardo, Burgundo, qui huius sui ordinis sodalitates centum sexaginta constituisse fertur Gelasio II. Pont. hoc est anno M.C. vel vt scribunt alij Calixti II. temporibus, id est anno 1120. nihil differunt à Cisterciensibus, nisi vestitu nigro. Vide Gulielm. abbatem vitæ S. Bernardi scriptorem.

Bogardorum Albatorum seu Alborum Spirituum ordo Bonifacio nono Pontif. institutus fertur id est anno ferè 1389. sunt que alij etiam Bogardi atricolores, sed de quorum origine & auctore inter scriptores non satis constet.

Bonorum virorum ordo auctorem habet Richardum Comitem Coruualiæ, in Anglia stirpe regia ortum, Alexandro IV. Pontifice, & anno M.CC.LVII.

Brigidæ ordo à Brigida vidua Suetiæ principe ortus, cœpit sub Vrbano V. Pont. instituto, vt cœnobium vtrique initiatorum sexui commune foret, murorum tamen, ac adspectus separatione sic diuisum, vt virgines superiora habitarent, monachi verò inferiora. templum item pari modo commune, omnibus autem abbatissa præesset, quod institutum non ipsius inuentionis fuit, sed primùm auctore Basilio in Græcia exortũ, mox antiquatum est, quia moniales in talibus monasteriis suspicionibus obnoxiæ erant, donec ab hac, vt diximus, Brigida, cùm religionis causa vrbem, & sacra Petri & Pauli limina adisset, instauratum est. huius autem ordinis alij cineraceo vestitu, cui supra ventriculum est effigies atræ crucis, amiciuntur, alij (in plures enim cohortes, quæ diuersis inter se tesseris dignoscuntur, distributi sunt) fuligini incedunt, rubra cruce, quam circulus complectitur, insigniti.

Cælestinorum religio cœpit auctore Cœlestino V. Pont. qui & ante, & post Pontificium, quod sponte resignauit, anachoreta Anno Christi 1294.

choreta fuit. à Clemente V. anno posteaM.CCC.V. in diuorũ numerum relatus: vtuntur cærulei coloris vestibus, in reliquis Benedictinorum regulam seruantes.

Camadulenses orti auctore Romoaldo Rauennate in iugis Apennini, nomen acceperunt, vt Polydoro Virgilio placet, à Madulo quodam Apenninicola, qui locũ eis cessit: quod tamen si verum est, potius videbitur, vt Camadulenses dicantur, quo pacto etiam alios eos appellare video. hi vestitu albo ante a inusitato vtuntur, cœperuntq; vt vult idem Polydorus cum aliis multis, anno 1416. vt quidam 1017. vt Sabellicus 1030. vt AEneas Syluius, anno 1058, sub Damaso II. Pont.

Canonicorum regularium multa sunt & diuersa genera, de quibusque etiam ex parte diximus, cùm de Augustinianis ageremus: hîc reliquos prosecuturi, quorum primi fermè fuerunt, qui Hierosolymis à quidam Arnolpho institu ti sunt sub annum 1056. eosque sequuntur illi, quos in oppido Bellouacẽsi à S. Iuone principium accepisse legimus circa annum, nisi fal sunt fasti 1080. tertij sunt, qui vigesimo ferè post anno in Gallia, Germania, Italia à S. Rufo originem habent. ab his illi numerãtur, quos in Italia prope Lucam constituisse dicitur Iacobus Bergomensis anno M.CCCC.VII. sunt & alij, sed cum certis & peculiaribus quoque nominibus distinguantur, idoneore loco commemorandi.

Vide Volaterranum libr. II. cap. 15.

Carmelitæ dicti à Carmelo Syriæ monte, in quo orti sunt: hi & D. virginis monachi vocantur, quòd in eodem monte Deiparæ fanum fuerit, vbi prima illorum cœnobij fundamenta iecit Almericus Antiochenus Episcop⁹, qui primus dispersos in hoc monte Anachoretas congregauit, sub Alexandro III. hoc est, vt rectè ratiocinatur Polydorus Virgilius (malè enim alii annum 1216. ponunt) 1170. quorum tamen quadragesimo fermè post anno sub Innocentio II. leges viuendi mutarit Albertus Hierosolymitanus Episcopus, dato illis pallio versicolore,

lore, ex albo, & canusino, quod successor Innocentij III. Honorius & ipse III. eius nominis Pont. eis ademit, albo ex toto pro eo attributo, quod minus rectè quidam Innocentio IV. adscribunt. floruitque hic ordo maximè Clementis V. & inde Ioannis 23. vel vt alij 23. Pontificum temporibus, qui illum impensè fouerunt. est autem & hic vnus ex quatuor mendicantibus. Anno 1305. nō vt malè alij 1286.

Carthusiani cœpere anno 1080. siue vt alij censent (neq; enim illos audiendos puto, qui sub Lucio III. Pont. demum, hoc est anno 1186 ortos volunt) 1086. Victore III. Pontifice dicti à loco, in quo ab Hugone Gratianopolitanorum Episcopo, auctore Brunone quodam ex Agrippina Vbiorum Colonia, instituti sunt. vtuntur autem alij atris, alij albis palliis, cilicio interius amicti, carnibus nunquam vescuntur, in cubiculis suis soli edentes, festis quibusdam diebus exceptis. silentiumque pene perpetuum seruant, laici eorum ad cæterorum discrimen barbam nutriunt. Sub Gregorio VII. Pont.

Cassinenſium ordo, siue S. Iustinæ Patauinæ, ab Ludouico Barbone nobili Veneto institutus, auctus est postea ab Eugenio IV. Pont. Veneto item: hicque adeo præcisè S. Benedicti instituta obseruare se ait.

S. Catharinæ monialium ordo institutus per Catharinā Senensem martyrem sub annum 1372. vel vt volunt alij, 1455. Nicolao V. Pont. hæ vestem interiorem albam gerunt, eique velum atri coloris superinduunt, cum capitis tegumento concolore.

Cellarij ita vocati à cellulis, in quibus ægris operā dant, & dicti alioqui Visitationis, seu charitatis, siue etiam Misericordiæ fratres, vel sodales, valetudine affectos quòd visere, mortuosque efferre soleant: interiùs linteam vestem atri coloris, exteriùs fuligineam gestant. hos originem suam ad Apostolica ferè tempora referentes, sed sæpe propè ad nihilum redactos, alij subinde, atque alij instaurarunt.

Cisterſienſes ſic dicti à loco in quo primùm inſtituti ſunt in Burgundia, ſiue à Roberto Moliſmenſi, ſiue ab Ardino Anglo, ſeu denique, quod magis crediderim, ab vtroque cœperũt, ſub Vrbano II. Pontific. anno 1098. vel 1090. atri coloris tunicis ſuperinduunt chlamydem albam, & rubeos geſtant calceos, paſtorali pedo inſignes.

Vide Sabellicum, Volaterran, Sigisb.

Vide Volater. libr. 21. & Sabellic.

Claræ virginis ordo cœpit eodem quo Franciſcani tempore, hoc eſt anno 1197. vel vt alij tradunt 1220. ſiue etiam vt quidam 1225. quo tempore ea & ipſa quoque Aſſiſias vt, Franciſcanorum, ſeu Minoritarum auctor Franciſcus, à quo ſibi, ſuiſque viuendi leges accepit, cœnobium velatarum virginum inſtituit, quas pauperes appellari voluit.

Clauigerorum ſeu S. Petri ordo binas claues geſtat intextas cucullioni atro, reliquo etiam veſtitu concolor. incertum quando & à quo inſtitutus, nil de eo, quod ſciam, Sigiſberto, Volaterrano, Sabellico, Polydoro Virgilio, aliis memoriarum, hiſtoriarumque auctoribus tradentibus.

Cluniacenſes cœperunt anno 916. Ioanne vndecimo Pont. ab Odone, vel, vt alij, Odilo quodam abbate inſtituti apud Maticocenſem Burgundiæ pagum, vbi etiam iis tum magnificum extruxit monaſterium Gulielmus Pius Aquitaniæ, ſiue vt ego potius crediderim, Burgundiæ dux.

Conſtantinopolitanorum ordo, incertum mihi quando & à quo potiſſimum cœptus, vtitur veſte viridi, & rubra chlamyde, geſtatque in pectore duarum crucium imagines, quarum vna alteri implicita eſt, quaſque flaui alij, alij cœrulei coloris prædicant. eadem quoque incertitudine de habitu obtinente, in quo ſunt, qui, contra quam ſupra diximus, chlamydem hanc familiam viridem, interiorem veſtitum rubricolorem habuiſſe aſſerant.

Crucigeri, vt ipſi volunt, à Cleto, qui tertius Romæ Pontifex fuit, vt alij, à Syriaco Hieroſolymitano antiſtite inſti-

tuti,

tuti, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, vbi crux dominica occultaretur, in huius crucis honorem iussi sunt ab eodem auctore suo Syriaco crucem manibus semper gestare, cœperuntque in Italia quoque innotescere, auctore Volaterrano, sub annum MCXCVII. quod tamen alij reiiciunt ad tempora Innocentij III. Pont. hoc est MCCXV. his, cùm iam propè extincti essent, instauratis rursus Pius II. Pont. AEneas Syluius priùs dictus, dedit, vt cœruleo vterentur amictu, cùm indiscreti ante coloris vsi fuissent; crucemque à qua nomen haberent, ex veteri suo instituto manibus ferre iussit, quam tamen crucē etiam pallio intextam eosdem eiusdē Pij II. mandato gestitasse, qui scribant, inuenio, cùm alij hoc genus ab illo diuersum faciant, qua de re, cùm incerta sit, nihil temerè statuendum iudico.

Dominicani auctorem habent S. Dominicum Calaguritanum, qui Pont. Innocentio III. vel, vt alij, successore eius Honorio III. hunc ordinem instituit, iubens, vt per totum terrarum orbem Euangelium diuulgarent, concionibusque habendis operam darent: à qua re etiam eos Prædicatores appellauit. vtuntur tunica candida, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine. Horum suo tempore ea incrementa, & fertilitatem fuisse scribit Sabellicus, vt monasteria eorum existerent ad millia quattuor, centum & quadraginta tria, in quibus circiter octuaginta millia huius familiæ monachorum tum viuerent, non connumeratis, qui in Armenia, & India aberant. nam Pontifices, Cardinales, Episcopos, abbates, qui ex hoc seminario prodierunt, quid dicam? cùm tantus eorum sit numerus, vt veritus, ne cui in suspicionem veniam, tanquam parum certa fide hæc perscribam, malim lectorem remittere ad Gilberti Genebrardi Chronicon, quod in omnium vbique oculis manibusque versatur, eò reuertens, ingentem

illam, quam dixi 80000 multitudinem vniuersam quidem S. Dominici propaginem fuisse, sed quæ tamen in duo genera diuideretur, quorum se alterum Conuentualium, alterum obseruantium nomine appellaret. hoc solis cæpis, rapis, omniq; olerum genere, & ouis, lacte, ac raphanis victitante, illo etiam cõmunes aliis cibos non aspernante.

Ensiferorum seu spadatorum ordo gerit binos enses sanguineos intertextos vesti candidę. quo argumento, aut auctore mihi non liquet, nihil enim de iis historici illi, quos in hac tanta temporis angustia consului.

Eremitarum ordinis iam superiùs inter Augustinianos meminimus, reliqua sunt tamen etiam duo eorũ genera, quorum alij à nescio quo, anno CCCXXIII. sub Sylueſtro I. Pont. institutos se dicunt, vtunturque cinericea veste, comam, barbamq; nutrientes: & verè eremicolæ, in solitudinibus herbis, herbarumque radicibus victitant: alij Paulini à Paulo, quem primum hoc genus vitæ ingressum ferunt, dicti, cœperunt in Germania primùm, vt magis verisimiliter quidam scribunt, sub Innocentio III. auctore Eusebio quodam, vt alij, sub Iulio primo, hoc est circa annum CCCXLV.

Anno 1215.

Flagellatorum duo sunt genera, quorum alterum hodieque durat, præcipuè in Italia, & Hispania, cœpitque nuper etiam in Gallia, & constat ex iis, qui certis diebus, præcipueque pridie diei Veneris, quem parasceuen dicimus, personati templa frequentantes, voluntariis vulneribus se afficiunt, & terga sua scuticis, virgisque scinduntalterum eorum, qui quotidianis se flagellis conscribillant, quique Niniuatarum nomine, quòd se Niniuitas pœnitendo imitari dicerent, cùm semel extincti fuissent, rursum repullulare cœperunt in Gallia, & Germania, donec anno ferè MCCCXLIX. iusta multitudo eorum,

hoc

hoc est ad MCCC oppressa est à Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. Pont. post quos tamen etiam ipsos subinde, tanquã è cineribus flamma, emicuerunt.

Forciferorum ordo albatus vnde, & quando cœperit, quærendo adhuc indagare non potui.

Franciscani auctorem Franciscum Assisiatem habent, dicti ab eo Minores: circaq; annum MCCXX. ab Honorio II. Pont. comprobati: vtuntur vna tunica natiui velleris, funiculo pręcinguntur: iiq́ue qui Obseruantes dicuntur, carnibus abstinent perinde ferè, vt de Dominicanis diximus, & crudis omnibus vescuntur, caloneśque seu ligneas soleas pedibus inducũt, cùm Conuentuales communibus & cibo, & calceis vtantur. Exorti sunt & minimi, à Francisco Siculo constituti, siue in Sicilia, siue vt tradunt alij, in Gallia, Calixto III. Pont. anno M.CCCC.LIV. qui etiam epulis elixis, aut vllo modo coctis non vtuntur. exorti Capucini, Pauperes, Reformati, Collactanei, Amadeani, Clarani, de quibus (cùm eandem D. Francisci regulam in summa seruent, licet in partibus alij ab aliis differant) non est huius breuitatis sigillatim plurib. differere.

Fraterculorum ordinis, in quem omnis sexus, & ætas recipiebatur, originem dicere nihil attinet, cùm ex eo nulli hodie supersint, toto eo hominum genere deleto à Clemente V. qui Roma in Galliam secessit.

S. Georgij prope æstuaria Venetiarum Ordo institutus est ab Laurentio Iustiniano Veneto, Patriarcha Venetorum: intimis vestib. lineum indusium superinduit, cum cucullione atri coloris. extra monasterium atri coloris chlamydem adsumit, cum galero concolore. est & alius candidus planè: est & tertius cœruleus.

S. Gertrudis moniales vtuntur vestitu atro, & carbaso concolore.

Gerundinorum ordo ab Episcopo Gerundo excogitatus est, & vestitu candido donatus: in pectorali imagines gerit Episcopi, tanquam tesseram aliquam, tænias quaternas, quarũ duæ virides, totidemque rubræ sunt.

Grandimontenses sic à monte dicti sunt, in quo in Aquitania à Stephano quodam Aruerno instituti sunt, Vrbano II. vel, vt alij, Alexandro II. pont. anno MXVI. vtuntur atro vestitu ciliciumque cuti admotum gestant, sine manicis, quod è pilis equinis nigris item contortum est, ita duriter, vt cutem scindat, & corpus pessimè afficiat.

Gregorianus ordo à Gregorio Magno Pont. max. institutus anno DXCV. vestitum gerit ceruinum, siue Betici coloris, cui ad pectus crux rubea intexitur, & alit barbam.

Gulielmitarum ordo, pertinens alioqui ad Eremitas Augustinianos, auctorem habet Gulielmum Burgundiæ ducẽ, qui cùm liberos non haberet, ingentes in eum sumtus faciebat, inducebatque atricolore vestitu. hunc mox collapsum erexit Ioannes Bonus Mantuanus, & rursus alij Alexandro III. & Alexandro IV. Pontificibus, hoc est anno MCLXI. & anno MCCLVI.

S. Helenæ ordo institutus est post inuentionem Dominicæ crucis, ab inuentrice eius Helena, Constantini Magni matre sub Sylvestro I. Pont. anno CCCXXXV. donatusque veste alba, & in ea cruce crocei coloris.

Hieronymiani, si ipsis credimus, à magno illo Hieronymo & nomen & originem habent, qui circa Bethleem ipse quoque monasticè vixit, sin aliis, orti sunt prope Fesulas à nescio quo Carolo Florentino, siue (nam hoc quoque inter auctores non constat) à quodam Rhedone instituti sub Innocentio VII. id est anno MCCCCV. vtuntur pallio super tunicam rugato, atque superiore parte à summo ad imum sciſſo, & scortea zona

tunicam

tunicam succingunt, soleisque ligneis pedes muniunt.

Hospitiorum heri ab Iginio Pontifice initium habent: qui primus certis cæremoniis hospitia hinc inde, siue ægris, siue peregrinis, siue denique vtrisque extructa, dedicari voluit, præfecto cuique vno, qui eius herus diceretur, & habitu nigro amiciretur.

Humiliatorum ordo cœpit in Germania coalescere ex exsulibus Gallis Cisalpinis, & præcipuè Mediolanensibus, ab Imperatore Federico, cui cognomentum Barbarossa, siue, vt alij censent, ab Imperatore Henrico patria sua pulsis: ab eodemque siue Federico, siue Henrico iam placato multis beneficiis affectus est, & tandem ab Innocentio III comprobatus anno MCC. Vtitur candidis vestibus, etiamque fœminæ ipsæ (neque enim ab hoc vitæ genere excluduntur) lana ac tela victum quæritant, nihilo segnius inter ipsa opera cum viris, pariter labori alicui intentis manu, precibus vacantes. Anno 1189. seu 1190. vt Sabellicus vult, vt Volaterra. lib. 21. anno 1017. sub Benedicto VIII. Pontifi.

Iesuitæ, siue societatis Iesu Theologi sub Paulo III. Pontifice cœperunt, auctore Egnacio Aiola Cantabro, qui cùm homo militaris sub Imperatore Carolo V. multa stipendia fecisset, tandem pertæsus eius vitæ, siue quòd alij Imperatori militandum potius existimaret, qui, quamuis potentissimum Carolum, potentia tamen superaret, hanc sodalitatem instituit, anno ferè MCXXXVII. à quo tempore ita illa prodigiosè crescere cœpit, vt totum nunc terrarum orbem propè repleuerit: non contenta Italiæ, Galliæ, Belgicæ, Germaniæ, Hispaniarumque terminis, sed stupendis nauigationibus ad Indos ipsis quoque Indis ignotos penetrans, vbi alienas à fide nostra gentes, & relligionibus Dæmonum mancipatos, Euangelij luce illustrare strenuè conatur.

Iesuato-

Ieſuatorum ſiue Inieſuatorum ſodalitas cœpit ſub Vrbano V. Pont. anno MCCCLXVIII. Senis: hi quoque victum, vt Humiliati, labore & opera ſua quęrentes, domeſticatimque collecti, acceperunt ab eodem Vrbano albam tunicam, & pileũ quadratum. dicti autem ſunt Ieſuati, ſiue Inieſuati, quod nomen Ieſu crebro in ore haberent.

Indorum ordo inſtitutus fuit anno MDVI. ſub Iulio II. Pont. & Maximiliano I. Imp. eſtque extra atricolor, interior albatus, vtpote Carmelitarum propago.

Ioſephi ordo vtitur veſtitu cinereo, & cucullione candido. ſed quando cœperit non magis habeo dicere, quàm quo auctore cœperit.

Lazari ſeu S. Magdalenę ordo quo anno, & inſtitutore cœperit, vt ignoro, ita illud palam eſt, duo in genera eum diuidi, quorum alij vocentur contemplatiui, incedantque interius atri, exterius candidi, & vtantur communi cibo: alij actiui, Betico colore gaudentes: & ſolis bulbis, oleribus, aliisque terreſtribus & inemtis victitantes.

S. Mariæ monachi, qui & ſerui dicti, auctore Philippo quodam Florentino, cœperunt anno MCCXXCV. ſub Martino (minus enim rectè quidam Henricum IV. ponunt) II. dicto IV. hi nigræ tunicæ ac ſuccinctę nigrum ſuperiniiciunt pallium circa humeros in rugas complicatum, ſcapulari amictu ab humeris reiecto, & communi more calceantur. Eſt & alius ordo S. Mariæ eorum, qui Montoliretani vocantur, quos inſtituit Bernardus Tolona Senenſis, cui ſe ſocios multi nobiles adiunxerunt: iique toti candidi ſunt habitu.

Montoliuetenſes Senenſes primùm cœperunt anno MCCCCVII. principe Bernardo Ptolemæo, in colle Senenſi vrbi proximo, quem ex Hieroſolymitani illius dominicis veſtigiis

giis frequentati nomine appellarunt, candidis sumtis vestibus. Gregorio XII. probante. fuerunt & alij eiusdem nominis multo ante hos, sed quos Bonifacius VIII. Pontif. circa annum MCCXCV. vel MCCC. stirpitus deleri curarit institutore eorum Viterbi è medio sublato, qui solo linteamine tectus, sine tibialibus, sine pileo incedebat.

Nullanorum ordo pullo vtitur amictu, & atro item scapulari. incertum quando, & per quem institutus.

Pœnitentes fœminæ exortæ sunt eodem ferè cum S. Claræ familia tempore, normæ quoque & vitæ propè eiusdem, nisi quòd in Pœnitentium, seu resipiscentium monasteria integræ à viris non recipiuntur. Anno 1212.

Premonstratenses auctorem habent Northbertũ quendam Lotharingum, cœperuntque, vt Polydoro placet, sub Calixto II. vt Volaterrano aliisque sub Gelasio III. Pont. amiciuntur tunica alba, cum linea toga sub candido pallio.

Purgatorialiũ ordo non ita vetus fertur, sed nuper adeo exortus, gestatque in pectorali crucem rubeam.

Quietinorum ordo Clemente VII. Pont. & Carolo V. Imperat. cœpit auctore Quieto Episcopo Neapolitano, ex familia Caraffarum: qui postea Pontifex factus, Pauli IV. nomen accepit. vouet solita iam à Basilio vsque monachis vota obdientiæ, castitatis, & paupertatis: vtiturque pileolo rotundo, & pallio episcopali, factaque est eius institutio prima Neapoli, secunda Romæ, tertia Venetiis. Anno 1523.

S. Saluatoris ordo, qui & Quiopetinorum, seu Escopetinorum, cœpit auctoribus Stephano & Iacobo germanis fratribus Senensibus, probante eum Gregorio XI. Pont. licet eos alij

exortos velint anno M CCC LXVII. Pontif. Vrbano V. alij etiam anno M CCCCX. sub Ioanne XXIII. Pont. auctore quodam Francisco Bononiensi, contra quos vide, & lege quæ scribant Sabellicus, & Volaterranus historici.

Sclauonianorum ordo rubeo vtitur vestitu, neq; quid de eo præterea pro comperto dicam, habeo. non magis quàm, de Scotorum ordine, de quo hactenus scio, pullatum eum fuisse.

Sepulchralium ordo institutus est, quo tempore Hierosolymæ recuperatæ sunt.

Seruorum ordo, siue Seruientium, ad cuius exemplum alter quoque Seruorum ordo institutus fuit. cœpit Honorio III. Pont. anno ferè MCCXVIII. Vtitur tunicis nigris, & alba chlamyde.

S. Sophiæ, siue Gratiæ ordo albatus, magna cruce rubea signat pectus. cætera quæ ad eum pertinent, historicis, quibus vsus ego, indicta sunt.

Specularіorum ordo, sic à speculo, quod gestare solenne habet, dictus, interiore vestitu ater est, exteriore candidus, cruce item, sed nigra, pectus muniens. quo tempore & à quo inuentus incertum.

S. Spiritus societas instituta est prope Venetias à Gabriele de Spoleto anno M CCCC VII. inceditque habitu regularium Canonicorum.

Stellatorum ordinis alij togati, alij cucullione tecti incedunt, vtrique tamen atrati.

S. Trinitatis, seu de Redemptione ordo institutus est, vt quidam volunt, in Hispania à Ioanne quodã anno MCXCVII. vt alij, & in iis Polydorus Virgilius, & Volaterranus, sub Innocentio III. Pont. anno MCCXIII. à Ioanne Matta & Felice Anachoreta, accepto ab eodem Innocentio Pont. vestitu candido cruce rubea pariter, & cœrulea insigni: cum mandato, vt stipes

vndique

vndique emendicarent, quib. captiui Christiani à Turcis, Mauris, cęteriſque infidelibus redimerentur, dictique etiam inde monachi de redemptione.

Vallis Ioſaphat ordo à moniali quadam incertum quando conſtitutus, vtitur veſte rubea, niſi quod cucullionem Benedictino ſimilimum gerit, hic iudices conſtituit in cauſis matrimonialibus, ad quos confugere ſolent illæ, quas pudicitiæ ipſarum expugnatores vxores ducere recuſant.

Vallis vmbroſæ ordo, ſeu, vt malunt, Valliſumbrenſiũ, vt quidam etiam, vallis Ambroſij, cœpit auctore Gualberto Florentino anno MLX. ſub Nicolao II. prope Florentiam. vtitur partim cineracei, partim cœrulei coloris veſtibus.

VVenceſlaitarum, ſiue Vinceſlaitarum ordo, quando, & à quo initium habuerit, ab hiſtoricis in incerto relinquitur, illudque de illis ſolummodo reperio, albo eos veſtitu incedere. cucullione ferè ad eam formam, qua ſunt tegumenta capitis, quibus Francicis mulieribus vti mos eſt.

De familijs quibuſdam Equitum initiatorum.

Percurſis, quàm ſuccinctiſſimè fieri potuit, monachorum monacharumque familiis, illud nunc hîc reſtare videtur, vt de ſacra militia initiatis, quando & hi Eccleſiaſticorum ordinum pars ſunt, paucis etiam differamus, quod certè non vltra quàm huius libelli ratio fert, breuiter ſic faciemus:

Igitur Equites ſacrati primi exorti ſunt ad defenſionem ſacrorum locorum Hieroſolymis, circa annum MXCIX. dicti hinc ab aliis Hieroſolymitani: nam ipſi ſe Ioannitas à Ioanne Baptiſta patrono ſuo vocari maluerunt. hi candidam crucem Vide Polydorum Virgiliũ libr. 7.

pallio nigro intextam ferunt. appellatique sunt mox Rhodij etiam à Rhodo insula, quam anno ferè 1308. Turcis eripuerunt, & Clementis V. Pont. permissu suiiuris fecerunt. hicque perpetuum cum Turca bellum gesserunt varia fortuna, donec anno M D XXIII. mense Ianuario (postquam frustra diu restitissent, & Christianos Principes omnes, qui se mutuis bellis atterere malebant, legationib. vt sibi & Reipubl. Christianę, cuius res ageretur, subueniretur, fatigassent) non tam victi, quàm prope consumti, insula Rhodo Turcis cesserunt, translatis reliquiis militiæ suæ Melitam, quam pro Rhodo nunc habent: strenuè, quo potest, & mari, & terra negocium religionis, & Reip. promouentes, dictique ab hac quoque insula, Melitensis militiæ equites, quibus Deus dignam sua virtute fortunam si largiri dignabitur, habebit Christiana Respubl. non tantum salutis suæ, hac parte defensores, sed etiam dignitatis vindices.

Post hos non ita diu, hoc est anno MCXXIIX. Pont. Gelasio II. exorti item sunt Hierosolymis Templarij, quibus hoc nomen datum, quòd in templi parte habitarent. hique vtebantur candido pallio, cum rubenti cruce, idque pro more habebant, vt Christianos loca sacra obeuntes & hospitio exciperent, & armati in via ab iniuriis & vi latrocinantium, infidelium que tutarentur. qua disciplina cùm diu stetissent, & iam per totam Europam opibus inclyti essent, subitò conuicti impietatis, & multorum flagitiorum, iussu Clementis V. omnes ad vnum vbique deleti sunt: cum ducentis propè annis durassent bonis eorum partim Ioannitis, seu Rhodiis militibus attributis, partim Teutonicis, de quibus iam iam dicam, partim etiam aliis familiis.

Et Teutonicorum quidem religio eodem ferè tempore cœpit, quo Templarij desierunt, hique partim horum, partim Rhodio-

Rhodiorum militum disciplinam imitabantur: quippe cùm & hospitio peregrinos exciperent, & re postulante sua cum Rhodiis contra hostes fidei arma coniungerent. dicti, vt quidam volunt, siue à Teutono quodam ordinis auctore, siue ab eo, quòd solis ille Teutonibus, ac nec his quidem omnibus, sed iis tantùm, qui indubitatæ nobilitatis parentib. orti essent, pateret: vtunturque hi pallio albo, intextam crucem atram habente, & nigra subtus tunica: tum demum in Germaniã transgressi, cùm Hierosolymas primùm, deinde Ptolemaida etiam Syriæ ciuitatem, quò se amissis Hierosolymis receperant, numerosa barbaries infidelium expugnasset. in qua quidem Germania mox, ne ocio languescerent, Prussiam bello aggressi, non priùs destiterunt, quàm totam eam prouinciam ductu auspiciisque suis expugnarunt, incolis ad religionem nostram adactis, & exstructo inde in ea Mariæburgo, quod diu sedes eius fuit, qui vniuerso ordini præest.

Equites S. Iacobi in Hispania primò per Petrum Ferdinandum conscribi cœpti, Alexandro III. Pont. anno MCLIIX. interius atri sunt, exterius albi, gestantq; loco crucis supra ventriculum conchã pectinis, fuerunt etiam huius nominis & instituti in Anglia, qui se ab illis prioribus ortos negarent, sed de quib. nihil apud ipsum etiam Polydorum Virgilium, diligentissimum rerum Anglicarum scriptorem inuenire potui.

Emendanda.

E 1. verſ. 7. laude, placere. E. 2. v. 1. crebriſque flagellis. F. 1. v. 7. nam quam. G. 1. v. 8. officij quam. G. 3. v. 3. caraque mundus. G. 4. 8. Quod ſtipe & exigua. I. 3. v. 1 ab orbe. ibid. v. 2. cingitur illa ſuo. K. 3. v. 3. Nuncque etiam ſancti. K. 4. v. 4. Ergo, nos Petri. L. 1. v. 2. quiſq; ſuæ. L. 2. v. 6. Vndiq; vaſto ſunt. L. 4. v. 2. Iuſſit & armatas M. 1. v. 2. Diuorum ſanctis. N. 4. v. 3. promptum eſt. O. 4. v. 1. nigrique. Q. 1. v. 3. & atram. Q. 4. v. 7. nigrantem inducere amictum. R. 2. v. 8. hoc iuuat ora. T. 3. v. 8. Nos docet. V. 1. v. 6. vſque Ducis. V. 2. v. 2. tegenda tegit. V. 3. v. 7. contemnas templa. V. 4. v. 7. cuncti iungamur olympo. Y. 1. v. 4. poſitę & non. Y. 2. v. 2. colore places. a. 3. v. 5. Lytrum vbi dum redimi quo. c. 1. v. 18. quia vt cardine. ibid. v. 25. Gregorio Magno. c. 8. v. 4. Camalduenſes. ibid. 15. à quodam Arnolpho.

Figuræ loco ſuo non poſitæ, B. 3. B. 4. C. 3. D. 4. F. 3. N. 3. O. 4. X. 3.

FRANCOFORTI AD MOENVM,
EX OFFICINA MARTINI LECHLERI IMPENSIS SIGISMVNDI FEYRABENDII,

M. D. XXCV.